PAVLI BENII
EVGVB-INI

Philosophi ac Theolo[illegible] Patauino Gymnasio
Eloquentia[illegible]ofitentis,

DE HISTORIA Libri QVATVOR.

In quorum I. vt de Historia [illegible] constet, eius definitio, partes, proprietates, declar[illegible]mata & Controuersiæ quæ de illa quæri possunt [illegible]dio explicantur.

In II. vt pro dignitate scribi p[illegible]s ex ordine proferuntur: & in latinis historicis, q[illegible]enditur, agnoscuntur.

In III. vt intelligenter euoluatur, ostenditur qui authores & quo ordine legendi sint: ac tum historiæ vniuersæ tum Romanæ inprimis & Græcæ ordo explanatur & ratio.

In IV. exemplis præceptisque demonstratur qui possit vtiliter peruolutari, vt inde vitam instituamus, ac res siue publicas siue priuatas cautè prudenterque administremus.

Ad Serenissimum PRINCIPEM *Excelsumque Senatum Venetum, Et Illustrissimos Excellentissimosque Patauini Gymnasij Moderatores.*

Cum copiosissimo, rerum scilicet ac verborum, Indice.

Venetijs apud Iacobum Vincentium CIↃ. IↃC. XI. cum Priuilegio, & facta a Superioribus Potestate.

C O P

Gli Eccellentiss. Sig. Capi dell' Eccels. Consiglio di X. Infrascritti [illegible] fede dalli SS. Reformatori del Stud[io di Pa]doua per relation delli dui à ciò deputati, cioè d[al Reueren]do Padre Inquisitore, & del Circ. Secret. Giouan[ni Ma]ralia, con giuramento, che nel libro intitolato Pauli [Beni] Eugubini d'Historia libri quatuor, non si troua alcuna cosa contraria alla Santa Fede, Principi, & buoni costumi, & esser degna di Stampa, Concedono licentia, che possi esser Stampata in questa Città.

Dat. die 19. Octobris 1610.

D. Francesco Moresini
D. Andrea Minotti
D. Giulio Contarini

Capi dell' Eccels. Consil. di X.

Illustriss. Consil. X. Secr.
Ioannes Baptista Padauinus.

1610 Registrata in off. con. Blasp. à carte 60. à tergo.

Iannes Baptista Breatto off. cont. Blasph. Co.

SERENISS: AC VIGILANTISS: VENETAE REIP.

PRINCIPI LEONARDO DONATO:

INCLYTO ET EXCELSO PATRVM

SENATVI:

ILLVSTRISS: ET EXCELLENTISSIMIS

PATAVINI GYMNASII MODERATORIBVS

Francisco Molino Equiti Ornatissimo & Diui Marci Procuratori integerrimo,

Francisco Contareno & Augustino Nano Equitibus splendidissimis;

Paulus Benius suum hoc de Historia monumentum, quò Venetæ Nobilitatis Iuuentus ad præclaram rerum gestarum cognitionem altiùs informetur, & egregium Reip. præsidium & ornamentum etiam atque etiam amplectatur, Dat, Donat, ac Dicat.

AVTHOR
DE HISTORIA.

PHoebus vt abscedens tenebris replet omnia cæcis:
At rediens ornat lumine cuncta suo. (dens
Absente HISTORIA sic Mens iacet inscia: Pru-
Fit redeunte; Toga, Martis & arte vigens.
Ergo absens præsensue facit (mirabile dictu)
Ex senibus pueros ex puerisque senes.

FRANCISCVS LL[illegible]NIVS COMES
AVTHORI G[illegible]ATVLATVR.

Macte BENI, *Herculeos stupeat Gens Prisca labores;*
Robur & vnde Poli sydera fulcit Atlas.
Æsonidemque Ducem extollat terræque Marisque
Dum sæuas foelix itque reditque vias.
Nos robur Mentis triplex, doctosque labores
Mille tuos, miris plausibus excipimus.
Tu gemina clarus Sophia, clarusque Camoenis:
Mellifluusque stylo, lacteus Eloquio.
Tuque virum obscuris præfers iam lampada gestis,
Omnigenamque vias sternis ad HISTORIAM.
Ergo eris ingenio Jason, Tirinthius, Atlas.
Ingenij poscunt hoc monumenta tui.

EIVS-

EIVSDEM DE HISTOR

DIALOGISMVS.

Ergo senem pueros inter numerare iubemur
Qui pectus vacuum gesserit Historia?
Contra puer canos inter proceresque senesque
Sedeat Historiæ munus? Sic equidem;
Aureus id clamat Plato, docet ore rotundo
Tullius: id monstrant facta vetusta Patrum.
At labor immensus terret, flexusque viarum
Obscuri, quot quot vix labyrinthus habet:
Sat scio: sed BENIVS flexus superabit, itérque
Pandet quid multis? Dædalus alter erit.
Gesta igitur perdisce virum nunc auspice tanto:
Namque erit hic tutus Dúxque Comésque viæ.

AD EVNDEM RESCRIBIT AVTHOR.

Macte Puer, generose Puer: SIC ITVR *ad astra,*
Virtute ac doctis artibus ingenij.
Clarus auis, ast arte magis qua dulcia Mella
Fundis ab ore loquens, fundis ab ore canens.
Perge igitur spes rara Patris, spes altera doctæ
Vrbis ab Euganeis quam rigat vnda biceps.
Spero etenim, nec vana fides; Voluentibus annis
Liuius alter eris, Cynthius alter eris.

AD

AD LECTOREM.

ſote, Lector candide, errata prius corrigito (ob id enim præfiguntur operi) tum fœliciter legito.

Primus numerus indicat Paginam, ſecundus verò Verſum.

Pagina 7. ver. 33. dignum, lege indignum. 9. ver. 14. quippeque; lege quippequæ. 10. ver. 12. Ariſtotelis, lege Ariſtoteles. 12. ver. 14. otiantur, lege oriantur. 15. ver. 11. Dietis, lege Dictis. Ibid. ver. 27. deſcribatur, lege deſcribitur. Ibid. ver. 31. conferre, lege confecere. 17. ver. 5. cognitione, lege cogitatione. 20. ver. 18. quod, lege quo. 21. ver. 26. &, lege ei. 26. ver. 12. latiùs, lege latiùs). Ibid. ver. 30. deprehenderunt, lege deprehenderint. 27. ver. 21. ſentirent, lege ſentient. 28. ver. 8. priuatos, lege priuatas. Ibid. ver. 25. videns, lege videas. Ibid. ver. 29. ſtudio, lege ſtudia. 29. ver. 28. poſſet, lege poteſt. 30. ver. 7. ſtrueret, lege ſtruere. Ibid. ver. 31. peperiſſe, lege peperciſſe. Ibid. ver. 34. reum, lege rerum. 31. ver. 25. inſamia, lege infamua. 34. ver. 4. ſi, lege ſi. Ibid. ver. 10. attingar, lege attingat. Ibid. ver. 31. rebis, lege res. 35. ver. 1. Lucius, lege Liuius. 36. ver. 37. Salusſio, lege Salluſt o. Ibid. ver. 24. honore, lege horrore. Ibid. ver. 24. venerabundus aſſiſterem, lege venerabunduſque adſtitiſſem. 38. ver. 6. percepit, lege excepit. Ibid. ver. 6. tantùm, lege tantum breuiter. Ibid. ver. 10. fecerit, lege fuerit. Ibid. ver. 14. interfecit, lege interfuit. Ibid. ver. 30. infeſta, lege infeſtus. 39. ver. 31. ab eo poterunt, lege poſſunt. 40. ver. 18. exceſsiſſe, lege exceſiſſe. Ibid. ver. 20. amplecamur, lege amplectantur. Ibid. ver. 33. inexpugnabiles, lege inexuperabiles. 41. ver. 2. inexpugnabile, lege inexuperabile. Ibid. ver. 3. quid octo, lege quid per octo. Ibid. ver. 23. dum obliquis, lege obliquis. 42. ver. 2. retorqueat, lege extorquent. Ibid. ver. 23. ſtatus, lege ſtatuo. 44. ver. 12. cui, lege cuique. 48. ver. 6. Græcos, lege Græcis. Ibid. ver. 6. ſignificari, lege ſignificant. ver. 26. maius, lege mauis. Ibid. ver. 30. quæ, lege quas. 49. ver. vltimo mundi temporis, lege Mundi ac temporis. 50. ver. 7. qui, lege quod. Ibid. ver. 9. narrat, lege narret. Ibid. ver. 9. mereamur, lege mereatur. Ibid. ver. 20. geſta, lege geſtæ. 51. ver. 4. opponat, lege opponit. Ibid. ver. 8. eſt, lege eſſe. Ibid. ver. 8. offendebat, lege oſtendebat. 53. ver. 8. regia, lege regio. Ibid. ver. vlt. Alemnonis, lege Memnonis. Ibid. ver. 5. picturæ, lege pictura. Ibid. ver. 6. cauſae primuntur, lege cauſa exprimuntur. Ibid. ver. 10. altenos, lege alternos. Ibid. ver. 28. poterunt, lege poterant. Ibid. ver. 29. eorum, lege earum. 57. ver. 14. mories, lege moneo. Ibid. ver. 34. propterea, lege ac propterea. 58. ver. 33. mouebam, lege monebam. Ibid. ver. 29. eſſet, lege eſt. 61. ver. 1. Sui, lege Suis. Ibid. ver. 28. in marg. quæ, lege qua. 68. ver. 11. vectet, lege vetet. 71. ver. 3. origine, lege origines. Ibid. ver. 6. origenes, lege origines. 75. ver. 23. fabulatur, lege fabulator. Ibid. ver. 28 fatale, lege facilè. 77. ver. 22. ſummi illius viri, lege ſummo illi viro. 79. ver. 36. quodam, lege quoſdam. Ibid. ver. 18. in marg. pertinent, lege pertinet. 85. ver. 13 in marg. retinet, lege pertinet. 86. ver. 3. animos, lege animos voluptate. Ibid. ver. 29. adhuc, lege adhuc & Ibid. ver. 31. non, lege quæ non. 89. uer. 6. egreſſi, lege aggreſſi. Ibid. uer. 26. ſtudio, lege ſtadio. Ibid. uer. 34. ſit, lege ſint. 90. uer. 29. refert, lege referet. 91. uer. 10. ad quæ, lege ad ea quæ. 92. uer. 13. ſit, lege ſic. Ibid. uer. 35. unà, lege una. 97. uer. 31. parentia, le-

tia, lege patientia. 98. uer. 4. nullum, lege nullus. Ibid. uer. 4. nullus, lege nullum 104. uer. 13. introduxitur, lege introducitur. 105. uer 29. in marg. XVII, lege XVIII. Ibid. uer. 36. etiam, lege alia. Ibid. uer. 36. quoque, lege quæque. 110. uer. 34. acto-rum, lege authorum, 112. uer. 9. eſt, lege eſſet. 127. uer. 29. agnouit, lege agnoſcit. 128. uer. 7. ſuauib, lege ſuauem. 129. uer. 4. ruuinoſum, lege ruinoſum. 130. uer 5. fortem, lege fontem. Ibid. uer. 20. loquens, lege loquens). 132. uer. 30. captare, lege captare? 134. uer. 11. ræ, lege re. Ibid. uer. 16. unita, lege unica. 135. uer. 17. tantum lege tantam. 138. uer. 14. canet, lege ca[illegible]t. 144. uer. 36. ati, lege ad. 145. uer. 30. ani-mantium plantarum, lege animantes plantas. 150. ver. 21. erratam, lege erutam. 153. uer. 21. amplitudine, lege nec amplitudine 154. uer. ult. reliquis, lege ex reliquis. 158. uer. 20. IX, lege XI. 159. uer. 23. breuis, lege breui. 161. uer. 36. regnù, lege re-gnum. 163. uer. 4. teſtium, lege tertium 165. uer. 25. & quod, lege ec quod. 166. uer. 6. & quod, lege ecquod. Ibid. uer. 19. u[illegible]urum, lege uirum. Ibid. uer. 27. præſtitum, lege præſtitutum. 168. uer. 12. & tamen, lege attamen. 169. uer. 19. hoc, lege hoc eſt. 173. uer. 14. ſuſceptam, lege ſuſceptum. Ibid. uer. 25. XXII, lege XXVI. 174. ver. 19. ex, lege Atque ex. 183. uer. 10. CIV. lege IV. 196. uer. 16. cuderi, lege uideri. 197. uer. 29. crux, lege trux. 200. uer. 29. repelli, lege refelli. Ibid. uer. 34. recenſa, lege recens a. 206. uer. 25. uti, lege quam 209. uer. 26. diſcuntur, lege diſcantur. Ibid. uer. 32. Progo, lege Trogo. 211. uer. 34. Belone, lege bellone. Ibid. uer. 36. legendus eſſet, lege longum eſſet. 214. uer. 30. Eteſias, lege Cteſias. 215. uer. 4. Eteſię, lege Cteſiæ. 223. uer. 21. diſtat, lege diſeat. Ibid. uer. 36. enim, lege etiam. 226. uer. 12. ἰσοgαιον, lege ἰσοgικὸν. 228. uer. 7. ſtridentem, lege ſtudentem. 242. uer. 21. ho-mines, lege hominis. 243. uer. 10. ignoſcere, lege cognoſcere. Ibid. uer. 30. animad-uerterit, lege animaduerteret. 247. uer. 3. alia tum, lege aliarum. Ibid. uer. 12. Ibidem uer. 12. &, lege & ſanè. Ibid. ver. 16. ægrotatione, lege ægrotationi. Ibid. uer. 18. la-boraſſet, lege laboraſſent. 248. uer. 20. ſit, lege fit. Ibid. uer. 24. cum, lege eum. 249. uer. 14. unitam, lege unicam. 250. uer. 2. ſentit &, lege ſeruit ea. 252. uer. 14. ita, le-ge ita ut. Ibid. uer. 32. tenendi, lege terendi. 254. uer. 20. ille, lege illæ 255. uer. 1. ſic, lege ſi Ibid. uer. 11. patere, lege parcere. Ibid. uer. 24. tam, lege tum 256. uer. 15. mu-nire, lege munere.

Paginarum verò numeros (ne te Index fallat) ſic corrigito.

217.	corrige	221.
218.		222.
219.		223.
220.		224.

Et ita deinceps uſque ad 252.

Vide etiam in Indice littera D. vbi de Dionyſio, uigillat lege, ſugillat. littera T. ubi de Thucydide uer. 5. 71, lege 17.

DE

DE HISTORIA
LIBER PRIMVS.

TVRPE videri poſſet, Auditores, vt qui in hoc gentium Theatro politiores litteras profiteatur, decennio toto ſiluerit de Hiſtoria: cúmque & de Eloquentia & de Poëſi tum dicendo tum ſcribendo multa ſæpè docuerit; de rerum geſtarum monumentis nihil vnquam præceperit: præſertim verò cum hinc non modò haurire multa liceat quibus ſtylus ornetur atque oratio fiat vberior, verùm etiam ſummam iucunditatem capias, ac vitam componas & modereris. Etenim quod à multis proditum eſt, hiſtoriam eſſe rerum humanarum ſiue compendium, ſiue ſpeculum, ſiue theatrum, id nemo qui rectè ſentiat, dubitarit: imò verò cum M. Tullio ſinè cunctatione affirmarit, eſſe vitæ magiſtram. ſiue enim Rempublicam temperes, ſiue domum adminiſtres, ſiue militiæ degas, quicquid denique domi foriſue agas, id hiſtoriarum exemplis cautiùs ſanè agas & accommodatiùs. Et quidem ea eſt humanæ vitæ breuitas, ea fragilitas, vt mors priùs obrepat quàm aliquid prudentiæ, ſolidæ præſertim, acquiras. Accedat igitur hiſtoria, quæ rerum geſtarum proferat monumenta, téque omnium gentium, omnium ætatum, mores doceat & inſtituta: atque inprimis exempla tibi commonſtret vnde vitam prudenter inſtituas vniuerſam. Veriſſimè enim dici poteſt vel neminem verè cumulatéque prudentem reperiri inter mortales, vel certè eum eſſe qui hiſtoriarum monumenta accuratè peruolutarit, illarúmque

DE HISTORIA ſcribendum, & cur.

HISTORIAE cõmendatio.

exempla ad suum vsum conuerterit. Sed & historiam honestæ iucunditatis esse plenissimam, ac rerum varietate & admiratione allicere animos & capere, nemo, vt opinor, inficietur, qui eam vel mediocriter degustarit. Id quod eò magis affirmare licet, quòd hæc nullis dumetis consita est, nullis salebris impedita: sed vt omnium compleat aures, omnium oblectet instituátque mentes, obuia & in aperto est mortalibus vniuersis. Denique (vt quàm in humanioribus disciplinis tribuit laudem M. Tullius, hanc historiæ impertiri ne grauemur) Historiæ studium adolescentiam alit, senectutem oblectat, res secundas ornat, aduersis perfugium ac solatium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat nobiscum, peregrinatur, rusticatur. Quæ cum ita sint, iam ne tali tantóque bono, quo nescio an maius in humanarum rerum curriculo nobis occurrat, careamus; danda erit opera vt tum historiæ vim atque naturam declaremus, tum qua ratione siue pro dignitate scribi, siue intelligenter vtilitérque legi ac peruolutari possit doceamus. Quanquam vt certo ordine progrediatur oratio, ac de argumento vniuerso planiùs constet, principio historicas Controuersias omnes vel Problemata, si mauis, seu Theoremata, proponam & in vtranque partem pro virili parte mea disputabo. ita enim fiet vt tum commodiùs intelligatur quot quantísque difficultatibus implicata sit historiæ natura, & quos veluti scopulos in hac conquisitione superare opus sit; tum his circumspectis & cognitis, instructiores ad Historiæ definitionem explicatúmque ac defensionem descendamus. Ita quidem Historiæ fine, quoniam hinc disceptatio regenda erit tota, explorato & constituto, materiáque subinde perspecta, cum proposita Theoremata continenter explicare, tum quæ ad historiæ vim & naturam, vno verbo, ad perfectam eius definitionem pertinent, colligere, partes quoque proprietatésque declarare, licebit. Atque hinc sanè in libro altero commodior ac tutior patebit aditus ad historiæ leges: quas ipsi non sinè cautione & delectu ex optimis historicis & authoribus, idque ratione inprimis in consilium adhibita, deriuabimus;

Rerũ tractandarum propositio, ordo, partitio.

vt

vt intelligatur qua ratione historia scribenda sit. Ita porrò quas siue historici officium, siue rerum gestarum delectus ac dispositio, siue oratio ac stylus, leges obrulerit atque præcepta, ex ordine prosequemur: & in Cæsare, Sallustio, ac reliquis Latinis historicis quoad eius fieri possit, agnoscemus. Iam verò in Tertio docebimus qua planè ratione ordinatè (præsertim in tanta & rerum & Historicorum varietate) intelligentérque peruolutari possit Historia, ídque tum vniuersa, tum Romana inprimis & Græca. Quàm rem sic concludemus, vt in postremo libro demonstremus qua ratione vtiliter euolui possit vt inde vitam instituamus, ac res siue publicas siue priuatas cautè prudentérque administremus. Nunc, quoniam de consilio argumentóque vniuerso déque ordine constare satis potest, ad ea quæ primo loco proposuimus, hoc est ad Historicas Controuersias ac Theoremata, sinè cunctatione aggrediamur. Ac primùm quoniam plerique omnes fatentur historiam (qualisqualis sit perfecta eius definitio; de hac enim postea) esse memoriam, seu narrationem rerum gestarum, illud requirendum est; NVM RERVM SIT QVAE olim gestæ sunt & ad vetustatem accedunt: vel quæ nuper gestæ & cum præsenti ætate coniunctæ sint. Etenim hac in re duas duorum eásque mutuo inter se pugnantes Authorum sententias reperio; Ciceronis vnam, Gellij alteram. Ille enim docuit historiam esse narrationem rerum quæ ab hominum memoria remotæ sint ac dissitæ, quæque res vetustas persequatur. Itaque Historiam non dubitauit appellare atque adeò definire Nuntiam vetustatis, interdum commemorationem antiquitatis, aliquando vetustatis monumentum: denique (id quod rem continet omnem) rem gestam ab ætatis nostræ memoria remotam ac dissitam. Quæ omnia eò spectare videntur vt intelligamus non res præsentes sed anteactas quæque ad vetustatem accedunt, Historiæ esse commendandas. Et sanè dum præsentes præsentia per nos ipsi discere possumus, quæque non ita pridem aut admodum remota ætate gesta sunt, à Maioribus sciscitari & audire; ratio postulare videtur vt vnæ

XV. De Historia proponuntur Theoremata.

I. Num Historia sit vnius antiquitatis an rerum gestarum omniū memoria.

res antiquæ & ab hominum memoria diſſitæ hiſtoriæ lumen deſiderent. & hoc nomine fortaſſe rurſus à M. Tullio teſtis temporum appellatur: vt ſcilicet intelligatur non eſſe rerum præſentium ſeu nuper geſtarum, ſed longè præteritarum, quæ vt ſunt à nobis diſſitæ, hiſtoriæ teſtificatione indigent. Atque eodem ferè nomine vita memoriæ, lux veritatis, dici potuit: quòd ſcilicet res quæ ob vetuſtatem obſcurantur, atque adeò interitum pertimeſcunt hiſtoriæ præſidio ab obliuione vendicentur, ac veluti vitam accipiant. Contra tamen Gellius ex veteribus monet hiſtoriam eſſe earum rerum quibus gerendis interfueris. Ita ſanè res vetuſtis temporibus geſtæ non modò non eſſent hiſtoriæ propriæ, ſed ab Hiſtorici munere abhorrerent. Neque enim fieri poteſt vt quis res peruetuſtas ſpectarit, aut ijs interfuerit quæ ab eius ætate remota ſunt. huic enim res paulò ante geſtas cognoſcere quidem licuit; antiquas certè atque vetuſtas non licet. Ac profectò id ipſum tum hiſtoriæ nomen ſuadet ac veluti clamat, tum ratio docet luculentè nomen, quia hiſtoria ab ἱϛορέω dicta eſt, quod eſt oculis cernere: quaſi verò ea par ſit hiſtoriæ, commendaréque planè cognoueris, atque adeò oculis hauſeris. ratione, quia veritas maximè requiritur in hiſtoria; ita vt prima hiſtoriæ lex ſit ne quid in ea mentiamur. quî igitur fieri poſſit vt quis verum ſinè mendacij ac falſitatis ſuſpicione commemoret, qui nec rebus interfuerit, nec cum gererentur, eas ſpectarit? Itaque Verrius Flaccus eodem Gellio teſte non dubitauit hiſtoriam ex priſcorum ſententia ſic definire. vt (quod paulò ante dicere cœperam) affirmauerit eſſe narrationem rerum geſtarum, quibus interfuerit is qui narret. Atque hoc fortaſſe nomine Plutarchus in Pericle ἡλικιῶτιν, hoc eſt coetaneam, vt ita dixerim, appellat Hiſtoriam, quod æqualium, eorum inquam qui interfuerunt, requirat induſtriam. Quam ſanè rem non minùs perſpicuè, quàm eleganter confirmauit magnus author Galenus, dum in libro de Sectis tum αὐτοψίαν hoc eſt proprium intuitum & ſpectationem tum experientiam cum hiſtoria coniungeret: quaſi verò hi-

ſtoria

ſtoria (id quòd continenter indicat non obſcurè) ſit narratio eorum quæ vidimus ipſi aut experti ſumus. In quam ſententiam in eo quoque libro deſcendit quem de Empirica ſubfiguratione appellant. cum enim varias hiſtoriæ definitiones ex veteribus attuliſſet, has eò ſpectare omnes docuit vt admoneamur hiſtoriam eorum quæ narrantur ſpectatione aut experientia contineri. Ita vt Galenus etiam ijs omnino fauere videatur qui vnas res præſentes ſubijciunt hiſtoriæ. Hæ ſunt pugnantes de rebus quæ Hiſtoria concludendæ ſint, Authorum ſententiæ ita vt hoc primo loco Theorema ſit diſputandum. Alterum illud ſit. NVM HISTORIA ita ſit narratio rerum geſtarum vt res priuatas perinde ac publicas perſequi poſſit. nam ſi affirmes humilem planè fingas Hiſtoriam, quaéque viliſſimis ſeſe immiſceat rebus. quin etiam infinitum illi propemodum laborem iniungas atque immenſum opus quod nullius induſtria perfici poſſit. vt omittam pleraque etiam non tam vſui futura legentibus aut iucunditati quàm oneri atque moleſtiæ. Denique vnæ res quæ opificum artificio elaborantur, omnium propè hiſtoricorum induſtriam ſuperent ob multitudinem: pleræque faſtidium quoque afferant & nauſeam ob ignobilitatem. & tamen has etiam ad priuatas fermè res pertinere compertum eſt. Quod ſi neges, difficile erit Hiſtoriæ fines agnoſcere nam vſque adeò res priuatæ cum publicis admixtæ ſunt, vt ſæpè vnas ſinè alijs attingere nequeas. Quid quod priuatæ quoque res induſtriam ſæpè referunt & ad prudentiam parandam valent plurimum? quin rei familiari administrandæ liberiſque inprimis inſtituendis, priuatarum rerum hiſtoria plus momenti habet quàm publicarum. Quamobrem priuatarum quoque rerum hiſtorias offendimus, quæ cum per ſe tum publicis admixtæ occurrunt paſſim. Itaque multa Xenophon de Socrate, hoc eſt de priuato homine: multa de mulierum virtutibus & de Socrate item Plutarchus plurima denique de priuatorum factis virorum ac dictis Pauſanias, Laërtius, Atheneus, Gellius, Valerius Maximus, Philoſtratus atque alij. quanquam

II. Num ſit non modò publicarum verùm etiam priuatarum.

enim ea ſtatim atque ab Hiſtoricis euulgantur, publica videri poſſint, ex priuatorum tamen hominum vita & rebus geſtis deriuantur. Sed & illud conquiſitione indiget, NVM EA NARRARE expediat quæ turpitudinem habeant, ſæuitiam, crudelitatem. ſi enim ea narres, mortalibus obſis, ac per imprudentiam nos ad ſeditiones, ad latrocinia, ad ſexcenta ſcelera inſtruas: ita vt cum cohibenda eſſet hominum peruicacia atque frangenda, hinc inſtigetur & prouocetur. Denique cum ab ijs Ciuitatibus quæ optimis legibus inſtructæ eſſent, ij Poëtæ arcerentur qui res obſcœnas imitarentur ac turpes, cur immeritò reprehendatur hiſtoricus qui res turpes ac flagitioſas peruulget ac poſterorum conſignet memoriæ? Quod ſi ea reticeas, trunca erit hiſtoria & imperfecta; quin anceps, obſcura, quæque nec legentis expleat mentem, nec virum ſaltem prudentem ac probum qui cautionem inde haurire poſſit, inſtituat. Denique ea videtur inter præcipuas hiſtoriæ leges numerari vt verum candidè prodas ac ſinè inuidia vllâ patefacias. vt omittam alioquin fore vt non tam hiſtorici quàm moralis Philoſophi partes fermè ſubeas vbi honeſtos tantum ac iuſtos perſequaris euentus. Quod ſi fortè contingat vt res quoque malæ, hoc eſt iniquæ & turpiter geſtæ, ſint commemorandæ, quod ex malis quoque cautiores effici poſſint mortales, illud ſuccedet peruestigandum; NVM BONI ſit Hiſtorici res turpes & iniquas inſectari probris ac deplorare illarum perniciem, vt mortales inde cautiores efficiantur: bonas contra collaudare & extollere, vt ad eas incendantur. Si enim affirmaueris, iam & Oratoris & Ciuilis Philoſophi munus ac partes tacitè illi iniungas. neque enim pro dignitate iſthæc æſtimare queat niſi Politici, nec laudare ac celebrare, niſi Oratoris, fungatur munere. ſic porrò hiſtoricum quaſi tricorporem fingas: ac nouum Geryonem inducas. Itaque Cæſar (vt alios quoſdam minùs laudatos hiſtoricos prætercam) etſi bellicæ prudentiæ & eloquentiæ gloria mirificè præſtaret, ac propterea ſuo iure poſſet plurimis in locis propria conſilia & facta non

III. Num res quoque turpes & flagitioſæ narrandæ ſint.

IV. Num res improbæ & flagitioſæ non ſine vituperatione aliqua, probæ non ſinè laude, ſint commemorandæ.

ſinè

finè laude aliqua posteritati transmittere, nil minùs sibi faciendum putauit; historici nimirum officij memor, cuius sit non laudare ac vituperare sed enarrare. Denique historia testis est temporum quare quemadmodum testis est veritatem simpliciter narrare, laudem & vituperationem cæteris relinquere, sic historiæ laus ac vituperatio erit prætermittenda ac simplex retinenda narratio. Quod si neges, rudis videri possit & imperitus qui finè discrimine fundat vel potiùs confundat omnia: ita vt nec lector tam instituatur & cautus efficiatur, quàm huc illuc iactetur animo: ex quo fiat vt à proposito fine & bono aberret facilè. Quapropter Thucydides, Sallustius, Liuius, qui historica virtute cum Cæsare non temerè comparentur, nec vituperatione abstinent nec laudatione, sed illis plurimum delectantur. Iam verò illud quoque est perquirendum; NVM EXPEDIAT vel etiam omnino conueniat causas rerum inuestigare ac persequi: ita vt quemadmodum euentus ac res gestas, ita euentuum ac rerum gestarum causas Historiæ præstet commendare. Si enim narrari iubeas, grauissimum illi munus demandes, cum plerunque ignotæ sint causæ: nec tam euentus perspicui quàm causæ obscuræ. Huc accedit quòd rursus ad Philosophi campos Historicum impellas: Philosophi enim est causas eorum quæ prodit afferre denique longior historia atque adeò molestior inde euadat necesse est. Contra verò si reticeantur causæ animus non expleatur, mens & intelligentia non satietur, prudentia minimè comparetur; cautio denique & iucunditas absit & peregrinetur. Vt omittam prudentis esse res non tam ex euentu & fine, quàm ex consilio æstimare. vt enim res consilio geramus & prudenter instituamus, peruolutamus Historias: causas igitur aut inuestigemus oportet, aut hoc bono careamus. Neque verò percunctatione dignum est, NVM LICEAT Historico personas loquentes facere, ac conciones & prosopopœias interponere. si enim neges, videndum est ne rudior euadat Historia, quæque satie-

V. Num præter rerum euĕtus causas quoque pręstet recensere.

VI. Num Conciones ac prosopopœias interponere liceat?

tatem afferat, & ob perpetuum illud narrandi genus iucunditate careat. cum tamen è contrario conciones & prosopopœiæ alliciant, delectent, moueant, denique varietate satietati occurrant. Adde quod vbi rescierit Historicus quæ planè ab Imperatore verbi gratia uel legato & oratore dicta fuerint, nefas videri possit ea occultare, aut ieiunè & ex propria persona commemorare. quid enim si Polybius exempli causa, quippè qui rebus à Scipione gestis interfuit, multis etiam præfuit, eas ipsas interponat conciones, quas Scipionem habuisse certò sciat, aut ipsemet fortè habuerit? quid si Cæsar, quoniam ad milites sæpissimè verba fecit, suas ille conciones interposuisset in Historia? Itaque laudatissimos Historicos Thucydidem, Sallustium, Liuium animaduertimus conciones frequenter, interdum etiam liberiores prosopopœias & Apologos ad Historiam adhibuisse. Imò verò Natura ipsa ne cogitantibus quidem nobis ad hæc interdum nos prouocare solet. nam in populari sermone non rarò eueuit, vt qui aliquid narret, alterius personam dicendo exprimat: nimirum quia cum illum sic loquentem audierit, naturæ propensione ad eum oratione imitandum prouocetur. cur igitur renuet Historicus Naturam ducem sequi, dum id passim cæteri mortales faciant? Et tamen conciones incredibile quid habent, ita vt Historiæ fidem vel minuant vel adimant. Denique Poëticum redolent artificium ac stylum: nec tam ad veritatem comparatæ sunt, quàm ad iucunditatem: curiositati etiam longiùs seruiunt quàm vtilitati. Id quod tum de apologis tum de prosopopœis quibusdam clariùs intelligi poteſt, quàm vt egeat commemoratione. quid enim magis accedat ad fabulam, quàm rebus quæ sensu careant, personam ac sermonem affingere? Neque uerò non perscrutandum sit,

VII. Nũ orationis lumina & ornamenta histo riæ sint adhibenda.

NVM HISTORIAE scriptio eloquentiam desideret & orationis maiestatem; an simplici quodam & communi stylo ac more Maiorum scribenda sit. si enim eloquentiam requiras, oratoris personam Historico rursus affingas;

gas; ac velut bicorporem facias: eos etiam à ſcribendo deterreas qui minimè diſerti ſint illi quidem, ſed tamen res ſpectarint; ac veritatem candidè mortalibus aperire poſſint. Vt omittam hinc etiam ſuſpicioſam fieri Hiſtoriam, cum Oratorum ſermo probabilitatem quandam ſectetur, nec tam veritatem quàm quod veriſimile videatur. Denique quantum iucunditati ſeruiat, tantum detrahat vtilitati. Contra tamen verendum eſt ne plebeia euadat Hiſtoria, & cuique vel de fœce hominum obuia fiat eius ſcriptio: longè enim intereſt ſiue quid loquaris, ſiue ſcribas: populariter enim loquendum: accuratè verò ſcribendum. quin pura perſpicuáque oratio, quaéque grauitatem quandam habeat ac iucunditatem, magnam continet Eloquentiæ partem: ita vt ab Hiſtoria quippeque tum candorem perſpicuitatémque requirit, tum grauitatem ac ſuauitatem ægrè diuelli poſſit Eloquentia. Quapropter M. Tullius Oratori ſcribendam iuſſit Hiſtoriam. apud Græcos etiam Thucydidem, Polybium, Halicarnaſſeum perdiſertos offendas: ita vt primus Demoſthenis aluerit Eloquentiam: alter limatiſſimas Scipionis tenuerit aures: poſtremus eloquentiam quoque profeſſus ſit. Nam de Herodoto & Xenophonte nihil attinet dicere, in quorum altero Eloquentiam, in altero ſuauitatem, Romanæ facundiæ parens celebrat. id quod in Theopompo item, Ephoro, Calliſthene, Timæo liceret agnoſcere, niſi horum nobis Hiſtorias temporum ademiſſet iniuria. ſed veterum teſtificatio ſatis eſſe poteſt. denique apud Latinos Salluſtium quoque Cæſarem, Curtium dicendi laude excellere, nec orationis ſplendorem ac decus in illis deſiderari compertum eſt. Atque idem de Liuio dicerem, niſi Patauinitatem mihi ab aliquo obijci ſubuereret. Verùm enimuerò quid ſi quis requirat, NVM CARMINI etiam commendari poſſit Hiſtoria, an verò niſi ſoluta oratione ſcribenda nullo modo ſit? ſi enim carmine quoque contineri patiaris, verendum erit ne Poëtam pro Hiſtorico intrudas mortalibus, ac rebus fictis ſic aperias aditum, vt Hiſtoria vel confundatur, vel peruertatur. Quin etiã

VIII. Num carmini commendari poſſit hiſtoria.

cum

cum Plato carmine Poësim & concludat, & à cæteris facultatibus seiungat, ita & carmen illi Poësim designet, videndum erit ne philosophorum principe & grauissimo scribendi intelligendíque magistro id fiat repugnante. Denique vulgatum est ac tritum Poëtarum esse carmen, solutam orationem Historici & Oratoris. Et tamen prisci mortales Historiarum monumenta carminibus illigabant; leges etiam complectebantur. Itaque Solon, Platone teste, & leges, & Ægyptiorum Historias Musis commendauit & carmini. Id quod alij etiam multis in rebus factitarunt, quorum carmen Historiam veriùs redolet quàm Poësim. Quid quod Aristotelis non carmine sed imitatione Poëtam dissociat ab Historico? quid enim est id, obsecro, nisi carmen & metrum Historico etiam concedere? Quin etiam cum doceat fore vt Herodoti Historia, si ad metrum reuocetur, adhuc sit Historia, quis non fateatur Aristotele authore carmen Historicorum quoque vigilijs transmitti posse? Id quod eo fortasse contingeret fœliciùs, quod memoriæ tutiùs consuleretur, ac propter iucunditatem ad Historiæ fructus decerpendos commodiùs traducerentur mortales.

IX. Num historię nomine Annales Commentarij, Diaria, & huiusmodi alia censenda sint.

Sed iam maximam illud curam requirit quod pertinet ad varias Historiarum (si tamen Historiæ nomen merentur omnes) formas ac genera. Dum enim Diaria scribunt aliqui aut etiam Itineraria quæ vocant, Genealogias item vel origines; quidam Commentarios, alij Annales, alij etiam res Memorabiles posteritati commendant, quas hinc inde citra certam temporum rationem congerunt, videndum esset an hæc Historiæ sint partes ac formæ, an uerò opponantur Historiæ. certè tanta est hac in re varietas, vt vix ac ne vix quidem certi aliquid statuere possis. si enim Historiam ab Annalibus sic separes (quod faciunt aliqui) & è regione distinguas, vt Historiam ijs quæ spectauerit Author, Annales remotioribus factis, attribuas, iam multorum Annales & Historias proferre liceat in quibus tale haud insit discrimen. quòd si aliam rationem ineas, rursus isthæc confundi à multis sentias, a multis item distingui,

gui, vt huc illuc impellatur animus ac distrahatur necesse sit. Id quod de cæteris formis ostenderem, nisi ex his quæ diximus de Annalibus & Historia cæterarum ambiguitas formarum percipi posset. Quidquod de Chronologia seu ratione temporum requiri idem potest ac dubitari? Etenim si dissentias, nec Chronologiam inter Historiæ partes aut species numerari patiaris, tum peruagata hominum opinione ac propemodum consensione, tum sigillatim Eustathij testificatione, redarguaris. scribit enim historicum Dionysij opus esse compositum ἐκ τοπικοῦ καὶ πραγματικοῦ καὶ χρονικοῦ καὶ γενεαλογικοῦ, ex Topico, pragmatico, chronico, genealogico. quin etiam, vt intelligamus se id non ex propria solùm verùm etiam ex recepta fermè aliorum sententia, & de omni historia, proferre, εἰς ἃ (subdit statim) διαιρεῖται τὴν ἱστορίαν φασίν. *in quas partes Historiam ipsam distingui aiunt*. ita vt Chronologia ab historiæ partibus nisi temerè diuelli non possit. Nam si eò confugias vt dicas, Historicum vti quidem Chronologia tanquam instrumento quodam & adiumento, vt res ordinatè narrare possit, non tamen esse formam quandam & speciem historiæ, iam quid erat quòd historiam sic partiretur, & Chronologiam cum pragmatico & genealogico, quibus continenter mores gentiùmque propagationes & huiusmodi alia narrandi munus tribuit, quásque germanas historiæ formas esse contendit, sub historia collocaret? Quid multa? nec Hebræi, à quibus Græci Chronologiæ nomen fortasse mutuati sunt, (zicronòth enim, quod Hebræis Annales valet seu Chronica, in chronon vtcunque videtur conuersum) Chronologiam ægrè vsurpant pro Historia: nec Græci non sæpè cum Historia, quia nimirum historiæ species habeatur, illam confundunt. quid est igitur quòd nos Chronologiam inter Historiæ partes referre dubitemus? Et tamen è contrario multis ac magnis de causis dissentiendum videtur. Etenim ratio temporis, quod est Chronologia, per se naturali Philosopho spectanda est ac declaranda. qui propterea tum de eius ui ac partibus, quales quales eæ sint, nos docet, tum diurni,

X.
Nũ Chronologia seu temporum ratio inter historiæ partes sit numeranda.

diurni, menstrui, annui spatij rationem, atque vnde interstitia illa gignantur primùm, ostendit. quæ omnia tum Plato in Timæo siue in libro de Natura prosequitur diligenter, tum Peripatetici atque alij subinde disputant accuratè. Vt omittam hæc etiam non negligenter ab Astrologo, etsi alio consilio, declarari: qui inter cætera errantium astrorum conuersiones, & quibus temporum interuallis suum quodque peragret orbem, demonstrat. Atque idem dixerim si quis ad Chronologiam referat quadripartitam anni varietatem: hæc enim partim Physici est, quà scilicet tum rerum naturalium refert vicissitudines, tum certa quædam designat temporum interualla; partim Astrologi: cum eiusmodi rerum temporúmque varietas & interstitia ex certis ac varijs Solis periodis oriantur, quas obseruat Astrologus dum Zodiaci signa peragrat Sol. De illa verò temporis varietate quam aliqui partim animantium sigillatímque hominum ætati tribuerunt, quámque alij infantia, pueritia, adolescentia, iuuentute, virili ætate, senectute decrepitáque item ætate partiuntur; alij aliter distribuunt, & ad Mundum etiam certa quadam proportione reuocant, nihil attinet dicere: satis enim constat hasce partes non ad Historicum, sed partim ad Grammaticum (quà scilicet earum notiones declarantur) partim ad Physicum (quà scilicet cum humanis affectionibus ac proprietatibus implicitæ sunt) pertinere. Vt omittam ad eruditi quoque hominis peritiam referri posse dum multa hinc inde eleganter delibat. Et ad hunc aut etiam ad Grammaticum per me reuoces licet seculi, lustri, Olympiadis, etsi quid huiusmodi, notionem atque rationem, dum isthæc & à Poëtis & ab alijs populari more vsurpantur. quid est igitur quòd Chronologiam Historico tribuamus, cum earum varietas rerum quæ temporis ratione continentur, nihil minùs quàm Historici requirat industriam? Et eodem ferè modo dubitari potest, Num Topographia censenda sit species quædam historiæ ac forma. Nam si Eustathium audias quidni eam perinde ac pragmaticam & genealogicam referas inter germanas

XI. Num Topographia, quin Chorogra-

historiæ

historiæ species? præsertim verò quia Dionysium, quippe qui de situ ageret Terrarum orbis, hoc maximè nomine in historici haberet loco. Denique historiam in quatuor istius-modi formas ac partes tam perspicuis verbis distribuit, atque huiusmodi decretum tam constanter ex vulgata ac trita maiorum sententia excipit, vt nefas videri possit non assentiri. Quod si ita est, iam eodem planè iure vel potiore Chorographiam & Geographiam inter historiæ partes numeres licet. quod enim in Vrbe, lacu, sylua, ac summatim in priuatis quibusdam locis præstat Topographia; id planè in amplioribus locis ac Regionibus Chorographia, in Terræ orbe vniuerso Geographia, molitur ac perficit. Quapropter quemadmodum Dionysius, ita Stephanus qui de Vrbibus, ita Strabo, Solinus, Mela, aliíque huiusmodi multi qui de situ orbis egerunt, non ægrè inter Historicos numerantur. Nam si fortè obijcias montes, lacus, syluas, & id genus alia quæ Topographia, Regiones item quæ Chorographia, designantur, denique Terræ orbem qui Geographia describitur, nullo modo ad historiæ materiam pertinere, cum isthæc res fermè naturales sint & corporatæ, quaéque Physici ac Mathematici requirant industriam, quid si doceamus (docebimus autem paulò post) res quoque naturales, Mundúmque ipsum germanum esse historiæ campum, ac iustam Historicis materiam suppeditare? Hæc vt constet tum Topographiam & Chorographiam tum Geographiam ipsam vniuersam inter historiæ partes iurè ac meritò numerari. Quam rem sic perspicuè firmare visus est M. Tullius, vt quam Eustathius ex antiquis quadripartitam tulit diuisionem historiæ, ipse totidem verbis, Latinè tamen quasi interpres exprimere & constituere visus sit. Cum enim in 11. libro de Oratore de Annalibus loqueretur, *Hanc similitudinem* (inquit) *scribendi multi secuti sunt, qui sinè vllis ornamentis monumenta solùm temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt.* vbi tempora Chronologiæ, homines Genealogiæ, loca Topographiæ, res gestæ Pragmatiæ, omninò respondent. ita vt tum Chronologiam, si M. Tullium in con-

phia quoque & Geographia sit germana historiæ pars & forma.

consilium adhibeas; tum verò Topographiam, Chorographiam item, quoniam est plenior Topographia quædam; ac Geographia ipsa, si placet, inter Historiæ partes sit numeranda. Quod tamen vel ex eo statuas satis refelli posse atque redargui, quòd hinc nobilis Geometriæ vel potiùs Stereometriæ pars cum historia confundatur: quo nihil absurdius fingi potest. Sed iam pelagus sese obijcit profundius, quandoquidem multa sunt quæ ad historiam pertinere atque adeò illius uim & naturam continere videntur; quæ tamen narratione vacua sunt & expertia. etenim tabulæ res gestas pictorum industria referre solent, ac mirificè ante oculos ponere: idem lapidibus vsu venire dixeris qui mortalium factis exprimẽdis adhibeantur. itaque in theatris ac templis ac summatim publicè priuatímque tabulas passim offendimus quibus antiquitatis monumenta continentur: columnas etiam aut arcus spectamus in quibus siue Traiani siue Antonini siue Titi ac Vespasiani aliorúmque facta visuntur. sed & eadẽ prærogatiua & laus iconibus tribui solet, quas propterea historiæ partem eámque nobilem faciunt aliqui. Quod si huiusmodi tabulæ, lapides, metalla ad historiam pertinent, verendum erit ne eodem iure eandem laudem sibi vendicent Geographicæ quoque tabulę, quin aulæa ipsa & peristromata atque alia multa quibus hominum effigies eorúmque facta designantur & exprimuntur. & tamen ab his longè abest narratio. Nam si dixeris non tam historias isthæc esse quàm aliquam historiæ vmbram, ac summatim imitatione potiùs quàm narratione contineri, verendum erit ne contra Historicorum narrationes imitamenta quædam censenda sint ac similitudines eius quæ è lapidibus & huiusmodi monumentis eruebatur historiæ. etenim verissimè dici potest rerum monumenta columnis ac lapidibus multò ante fuisse consignata quàm ipsæ extarent litteræ, quibus res gestas exaramus: quin ab ipsis ferè Mundi incunabulis cœpisse: litteras post Mundi eluuionem ac fortasse non multò ante Mosis ætatem inuentas esse. itaque verendum est ne rerum gestarum narrationes in lapidum atque huiusmodi monumentorũ locum suffectæ sint: tãtum abest vt columnæ ac lapides sint historiarum

XII. Num tabulæ, signa, icones & id genus alia pertineant ad Historiam.

storiarum imitamenta. Sic sanè, etsi multa suadeant vulgatã ac receptam de historiæ vi & natura sententiam esse retinendam ac rerum gestarum narrationem esse habendam, multa tamen reclamant ac rem mirificè pertubant totam. Quanquam alia sunt quæ illam nõ perturbare solùm sed funditus euertere videantur. nam & opinionum & sententiarum Historias offendimus, quæ re vera haud sunt rerum gestarum. quæ enim Plutarchus de Placitis aut Decretis scribit Philosophorum, ea, si Galenum audias, philosophicam valent historiam; & tamen inter res gestas nullo modo referri possunt. Idem dixerim de ea quæ apud Xenophontem de Dictis extant monumenta: siquidè inter germanas historias numerantur. quin Laërtius etiam sic scribit Philosophorum Historiam, vt in sententijs ac dictis ferè sit totus. Quod Historiæ genus vsqueadeò longè latéque manat, vt innumeri propè libri extent quibus Apophthegmata, Facetiæ, Prouerbia & id genus alia memorantur. Et sanè cum in vita hominum describenda præstet non modò res gestas verùm etiam dicta quin decreta quoque sententiásque referre, quis neget historiam quemadmodum in rebus gestis ita etiam in dictis decretísque occupari posse? Quanquam maioribus adhuc procellis iactatur Historia dum à nobis rerum gestarũ commemoratione occupatur. Etenim sunt qui Naturę atque adeò totius Mundi scripserunt Historiam, vt Plinius, ac (si rectè æstimes) eius Author libri qui de Mundo extat ad Alexandrum: quandoquidem in eo Mundi machina & moles historico ferè more describatur. sed & alij cœlestis regionis historiam conscripsere vt Hyginus: quî cum Aratum censeas licet, quãuis vtatur carmine: nam stellarum recenset nomina & formas, atque adeò germanam illarum texit historiã. alij vniuersim terrarum Orbis historiã conferre vt Strabo, Ptolomæus, Mela, Ortelius: alij præcipuæ alicuius terrarũ partis, vt Pius Secundus Asiæ inter cæteras, Io. Boëmus Europę, Leonius Africæ. Alij amplissimæ prouinciæ ac regionis, vt Pausanias Græciæ, Leander Italiæ: cuius ordinis historici plurimi sunt in promptu: alij minoris adhuc prouinciæ, vt Coppus Iustinopolitanæ regionis atque Istriæ vniuersæ: alij

XIII. Num opinionũ aut dictorum, quæ tamen inter res gestas non numerantur, sit Historia.

XIV. Num Mundo eiusque partibus ac summatim rebus naturalibus quæ item nequeunt ad res gestas referri, conueniat Historia.

magnarum Vrbium, vt Romæ Dionysius ac Liuius, Venetiarum Blondus & Sabellicus, alij, qui sunt propemodum, infiniti, aliarũ ad exiguas vsque. Denique ne longum faciam sed multa complectar paucis, alij Insularũ aut montium aut fluminum, aut certi loci alicuius historiam condidere, ita vt Æliano vna Thesalica Tempe argumentum suppeditarint historiæ. Quin etiam mineralium aliqui, vt Albertus, aut gemmarum, vt Rueus, alij plantarum, vt Theophrastus & Dioscorides, alij animantiũ, vt Aristoteles aut alicuius animantium generis, vt piscium Oppianus, auium quoque Gesnerus, alij certæ alicuius animantium (has enumerare longũ esset) formæ ita vt vsque ad remoram, sed quid remoram dico? ad vermiculum descenderint. Vt omittam Solinum, Ælianum, Athenęum, Valerium Maximum atque alios ferè innumeros qui variam confecerunt historiã; eam enim sic confecerunt, vt quamplurima in illis ab rerum gestarum ordine absint quamlongissimè. Cum igitur tam longè ac latè sese fundat historia, atque infinita propemodum cõplectatur, quæ ab rerum gestarum natura longè absunt, quis rerum gestarum aut finibus cõcludere, aut materia describere historiam audeat? Et tamen vsque adeò receptum est historiam esse rerum gestarum, & apud grauissimos dicendi intelligendíque authores confirmatum & constans, vt nefas videri possit in cõtrouersiam id reuocasse. Iam verò vt historicis hisce controuersijs proponendis modum adhibeamus, ac fastigium aliquod Theorematis interim imponamus, illud supremum sit, quod fortasse, vt est præcipuum ac ferè caput, principiò proponendum fuisse dixeris; Num scilicet HISTORIA INTER ARTES SIT NVMERANDA: Quod est, Num proprijs ac certis præceptis constet quibus retẽtis sinè errore conflari possit. Vt enim ars ædificatrix inde artis meretur nomen, quòd certas habet leges atque præcepta, quibus retentis, pulchrum efficiat opus, ac sine errore ædificet; ita fortasse historicus sectã ac normam habeat & pręcepta quibus historiam ritè cõflare possit. Id igitur requirimus in præsentia. Tametsi quoniam nõ facilè est quod statuatur, nisi multa quę ad superiora pertinẽt Theoremata explanẽtur priùs, cõmodè interim postremo

XV. Nũ historia inter artes sit numeranda.

mo proponatur loco. Ergò si historiæ tum ortum atque primordia, tum naturam ipsam spectemus, nihil minùs quàm inter artes sit referenda. nam quibus obsecro præceptionibus egeat quæ Naturam ducem ac magistram habeat, & sponte ferè, non secus atque oratio ab ore, & cognitione fluat nostra? Vt enim quod quisque viderit, id siue doctus fuerit siue imperitus, naturali quadam propensione & communi more ac modo effert; ita qui rerum gestarum quas spectauit, veritatem bona fide scribit Historicus; communi more ac modo scribit, ac vulgat. Itaque Pherecidem legimus, Hellanicum, & Acusilam inter Græcos; Catonem Pictorem inter Latinos, sic condidisse historias, ut à consueto ac trito dicendi scribendíque genere, quod est populari ac tanquam naturali, non discederent; vnam quam perceperant ueritatem narrantes. Id quod in Italicis Scriptoribus multis obseruare licet, qui naturam ducem sequentes, ac res gestas narrantes, ne Artis quidem nomen audisse aut certè eius vim intellexisse uisi sunt, tantum abest ut præceptis ullis ac legibus sese obstrinxerint. Denique ueritas ea est quæ ne cogitantibus quidem nobis, interdum etiam uel inuitis, ex nostro erumpit ore. Si quid enim est in quo homines inter se communicent, illud est uel maximè rerum quibus ipsi interfuerint gestarum cognitio. Quapropter egregiè Catulus apud M. Tullium, *Ad Historiam scribendam satis est* (inquit) *non esse mendacem*. siquidem germana historia antequam fucum illi facerent aliqui, aliud nihil erat quàm simplex Annalium confectio; in quibus sine ullis ornamentis (nam sic planè ueritas, vt est per se pulcherrima, describi gestit ac promulgari) monumenta temporum atque hominũ facta narrabantur. Quòd si deinde aliqui nescio quæ de Historia præceperunt, ij sanè (si quis accuratè animaduertat) & inuidiæ stimulis adducti sunt, & verò quid fugiendum potiùs (quia vepres ac dumeta in Historici agrum comportata iam cernerent) quàm quid sequendum docuere. Certè Thucydides Herodoti gloria permotus, cuius nouẽ Libros nouem Musas appellabat antiquitas; delectandi studium ac fabulas seu res ludicras (has enim Herodotus narrare inter-

dum visus est) exulare iussit ab Historia, ac possessionis instar & monumenti quod in æuum perseueret, condi, sic Halicarnasseus Dionysius in Thucydide; eius nimirum commendatione excitatus, multa reprehendit, ac propterea historica quædam tulit præcepta, quibus sibi caueret, Thucydidi conflaret inuidiam. quamuis enim rectè fortasse quædam caueri iubet, hæc tamen fermè ad spinas attinent submouendas, & historicum purgandum agrum. atque eodem ferè pertinent quę siue Polybius paulò ante Dionysium, siue Plutarchus aut Lucianus postea. verissimè enim dici potest istos ad præcepta descendisse illorum causa, quibus aut inuiderent, aut fucum, vnde veritatis candorem ac decus adulterari cernerent, exprobrarent. Quod si ex Latinis (quanquam vix pauca quædam, eáque obiter ac sparsim à Latinis præcipi videas de historia) vel certè ex nostratibus, qui tamen Latinè scripserint, aliqui documenta dederint quemadmodum Iouianus Pontanus & recentiores nonnulli, ij sanè non in germanam ac synceram Historiæ ideam spectarunt, quæque nō necessarijs vel potiùs onerosis ac præposteris ornamentis careret, sed in eam historiam oculos coniecerunt quæ iam pigmentis aspersa & lenocinijs, & ad iucunditatem potiùs & Eloquentiæ, ingenijque ostentationem composita, natiuam veluti faciem deposuisset. Vt propterea germana historia, hoc est simplex & naturalis, præceptorum artificium fastidiat, nec artis legibus ne dicã vinculis aut nomine gaudeat. Et tamen è contrariò videri possit hominis parùm considerati affirmare magnarum rerum nullam esse artem, cum minimarum vix sinè arte sit vlla. certè cum Grammatica suis constet præceptis quibus perspectis & cognitis errare nos haud sinat, ac propterea inter artes referatur, cur historia non certam viam ac rationem habeat vnde sinè errore conflari possit? quod si rursus Eloquentia quæ opinione non certa cognitione continetur, præceptis concluditur & ad artem reuocatur, cur historia quæ veritate nititur, certa via & ratione tradi nequeat vnde artis nomen inueniat? Imò verò cũ Medicina quæ in coniecturis posita est, quámque fallunt multa (idem de nauigationis aut agriculturæ studio dixerim) artis

nomine censeatur, cur Historia quæ veritatem sequitur, artis laude priuabitur? Quid? non ne inter eas facultates quæ oratione suum obeunt opus, numeratur historia? numeratur sanè. cur igitur Grammatica, Dialectica, & si quæ huiusmodi, ad artem redigetur, Historia excludetur? Denique quid prohibeat à nobis obseruari cur Herodotus, Thucydides, Sallustius, Cæsar historiæ virtute claruerint, atque inde ea colligi & notari quæ historiæ pertexendæ maximè accommodata sint? At qui id fecerit, oppidò artem pepererit certè hoc nomine effecit ac docuit Aristoteles Eloquentiam præceptis concludi posse & ad artem reuocari. Quocirca licet Annales, vetusti præsertim, præceptis aut nullis aut certè paucissimis contenti essent, vel si non paucissimis, apud veteres tamen scriptores, vt erant tyrones ac rudes, sine præceptorum artísue vsu conficerentur; Historia tamen, vt accurata sit atque omnibus absoluta numeris, documentis multis eget ac magnis. itaque Herodotum, Thucydidem, Diodorum, multóque magis Polybium & Dionysium præcepta dedisse videas, quæ non inuidentiæ omnia sed prudentiæ plêraque sint ascribenda, & operis magnitudine digna videri possint. M. Tullius etiam, obiter licet & cursim, multa eáque grauissima Historiæ scribendæ præcepta reliquit. Ac profectò boni Historici officia multa sunt quæ legibus concludi possunt: rerum quoque dispositio & œconomia, nec non elocutionis forma, documentis muniri & illustrari & potest & debet: alioquin cum inordinata & perturbata, tum obscura & rudis, ac summatim imperfecta existat Historia. Vt propterea verendum sit potiùs ne pluribus ac maioribus offensionibus obuia sit, quàm vt ijs adhuc aliquorum præceptis prouisum sit satis.

IAM ad Theoremata proposita explananda, vnde etiã nouis vtilitatib. aperitur campus, Historię vsus ac finis requirirur & constituitur.

SED quoniam horum propositione theorematum rem adduximus in summas angustias, ac difficillimas dubitationes creauimus, age dum eádem theoremata explicare, & quam maximè fieri possit dilucidare, studeamus. Nam his explicatis & cognitis, tum licebit historiæ campos atq; adeò perfectam definitionem, partes, affectionésque omnes seu proprietates dicendo peragrare, tum nouas subinde vtilitates

capere, quibus nescio an hoc tempore maiores expeti possint aut excogitari. At enim quas tandem vtilitates dicis? eas nimirum quas ab initio attingere cœperam: vt scilicet his theorematis explanatis, mox historiæ leges atque præcepta pro virili nostra prosequamur, continétérque doceamus qua ratione tum rectè ac pro dignitate scribi, tũ intelligẽter peruolutari, tum denique ad vitæ vsum scitè prudentérque conuerti possit historia. Interim verò vt proposita theoremata explicemus, operæpretium est Historiæ finem, vsum, munus agnouisse priùs: hinc enim, vt spero, dubitationum dispellere licebit tenebras. Ergo historiæ finis, paulò remotior ille quidem, sed finis tamen, ille est qui cæteris quoque doctrinis atque artibus est propositus; nimirum vt mortales ad beatam vitam instituat. Atque hac de causa Politicus diligenter solet de artibus ac doctrinis consulere quæ ad benè beatéque viuendum conferre possint: vt perniciosis ociosísque reiectis longiùs, vtiles retineantur, ac leges illis præscribantur quod commodiùs ac plẽniùs muneri satisfaciant suo, etsi enim re uera nihil artis aut doctrinæ meretur nomen, quod nequaquam afferat mortalibus utilitatem, haud tamẽ fateri cunctandum est perniciosa quædam inuenta artis nomine inter mortales irrepsisse quæ à germanis disterminare opus sit: ita ut Politico de ijs seligendis ac retinendis sit cogitandum, ex quibus homines utilitatem capiant & ad beatam uitam contendant. Atque hæc sanè uita Historiæ cum Poësi, Eloquentia, Militari scientia, Medicina, alijsque artibus multis in finis loco proposita est: licet ex ijs facultatibus aliæ eminus, propius aliæ, propositum finem spectent aut attingant. Sed quî tandem id præstat, aut quî propositum ad finem contendit, Historicus? Ea sanè ratione ut rerum gestarum aut humanarum monumenta prodat mortalibus. sed quorsum? Vt scilicet (atque hinc finem intueri licet quẽ proximè spectat Historia) planè hauriant exẽpla quibus cautè ac prudenter uitam instituant. hinc enim fit ut res malas & aduersas, quoad eius fieri potest, declinantes, probas consectantes, ad benè beatéque uiuendũ contendãt; uel certè quem humana fragilitas atque mortalitas optimum

statum

ſtatum admittit,hac ſibi parent induſtria.Id quod non ei factitandum eſt ſolùm qui priuatam degat vitam (priuatā appello non ſolitariam,ſed quæ Reipublicæ familiæq; gubernatione minimè occupetur) verùm etiam qui alienis cōmodis operam nauet ſuam; vt nimirum cęteris quoque mortalibus ad benè beatèque viuendum vſui ſit & adiumento. vt enim ortus noſtri partem ſibi patria vendicat partem amici, ita Hiſtoriæ ſtudium non noſtris ſolùm ſed amicorum quoque ac patriæ commodis & beatitati eſt tranſmittendum. Neque verò minùs tutò liceat hunc Hiſtorico finem pręſcribere, quòd ſiue Herodotus, ſiue Thucydides,ſiue Halicarnaſſeus Dionyſius aliter ſtatuere videantur.etſi enim primus hiſtoriam ſibi proponit conſcribendam, *Ne res* (vt ipſe inquit) *à maioribus geſtæ obliterentur, ac præclara illorum facta & admiranda fraudentur gloria; alter vt hiſtoria non ludicrum certamen, ſed perpetua ſit poſſeſſio; poſtremus,vt ob rerum pulchritudinem & iucunditatem legentiū animi perfundantur voluptate*; vſu tamen uenire interdum ſolet ut hiſtoricus alium ſibi quàm hiſtorię germanū proponat finē. Eſto igitur finis Artifici ſeu Hiſtorico propoſitus ſit uel iucūditas,uel monumenti diuturnitas,vel gloria: Artis certè ſeu Hiſtoriæ, tranquillitas vitæ ac benè beatéque viuendi ratio rerum geſtarū exemplis paranda,eſt propius ac germanus finis. Quapropter aptiùs mea quidem ſententia, M. Tullius qui vitę magiſtram cenſeri iubet,ac propterea humanę vitæ inſtitutionem & propoſitam ſignificat in finis loco. aptiùs itē Siculus Diodorus, qui homini in quolibet vitæ genere inſtituendo, & vt cautiùs degat,proponit hiſtoriam:rectiùs etiam Lucianus qui vnam vtilitatem quę ex rerum geſtarum cognitione percipitur ad vitam legitimè inſtituendam,finem haberi iubet hiſtorię. Scitè quoque Plinius qui inter cętera id tribuit hiſtorię vt fœlicitatem nobis impertiat. Aptiſſimè Liuius, qui, *ſalubre* (inquit) *ac frugiferum ſit omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæq; Reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu,fœdum exitu, quod vites*: prudenter quoque Polybius qui iubet vt aliorum exemplo omnem fortunę varietatem ęquo animo perferen-

tes, ac vitam instituentes, ad res Ciuiles historiam tanquam magistram referamus. Nec fortasse multò aliter sentit Thucydides quanquam enim re uera historiam tanquam perpetuam possessionem sibi condendam proposuit, vt Herodoto quem admirationi esse intelligebat, inde conflaret inuidiã, dum fabulas (vt idẽ Thucydides indicat) rebus veris admiscens, ex ludicris collegisset famam, non obscurissimè tamẽ innuit perpetuam hanc possessionem mortalibus parari, vt per omnem ętatem inde vtilitatem capere possint. Atque ad eundem veluti scopum reuocari vtcunque posset tũ Dionysius, tum Herodotus si quis ex ijs quę de vtilitate ex historia capienda indicant, ansam arripiat: quo tamen labore libenter ipse supersedeam, quòd Philosophicis rem pręceptis disceptauerim, quibus docui eum Historię finem esse propositum vt mortales ad prudentiam ac beatam denique vitam exemplorum varietate instituantur ac dirigantur. Et quamuis nõ inficior Ethnicos, pręsertim Gręcos & Romanos qui ad gloriam labores referrent ad studia, illud vel maximè spectare in historia, vt hisce monumentis irent obuiam mortalitati, atque humanę vitę imbecillitatem sustentantes, immortalitati quoad eius fieri posset suum suorumque nomen conseruarent; præclarius tamen & verò tutiùs sit historiam eò referre vt dicta factáque memoratu digna ad posteros transmittantur quò ad imitationem excitentur. Sed longè tamen tutissimum ac præclarissimum sit, vt quoniam humana vita nauigationi est persimilis, in qua modò secundis modò aduersis vtimur ventis, & sexcenta mala tanquam scopuli sese objiciunt quæ celso declinare oporteat animo, res gestas siue probas velis (non vulgares tamen aut minutas) siue improbas, in medium afferri iubeamus, vt tum exemplis abundemus quibus ad res præclarè gerendas incendamur, ínque periculis & malis cautiores efficiamur, honestumque inde solatium capiamus, & voluptatem, tum in primis varietatem rerum humanarum & inconstantiam agnoscẽtes, ad vtránque veluti fortunam pectus muniamus. hinc enim fiet vt neque aduersis noster prosternatur animus, nec efferatur secundis: in quo vitæ tranquillitas posita est

&

& optimum mortalitatis perfugium. imò verò, quoniam ad veram immortalitatem nobis aſpirandum eſt, eò etiam dirigenda eſt rerum geſtarum cognitio, vt tum mortalitatis perfugium, tum, Numine aſpirante, immortalitatis ac beatæ vitæ incitamentum ſit ac ſubſidium. Quanquam vobis, Auditores optimi, eo etiam conſilio tractanda ſunt monumenta vetuſtatis, ac laudati Hiſtorici peruolutandi, vt orationis copiam hauriatis, ac ſtylum ad omne dicendi ac ſcribendi genus formantes, exemplis abundetis inprimis quibus ingenium efflorescit & eloquentia. Nam ſi quis altiùs adhuc attollat mentem in hac conquiſitione atque hiſtoriarum exemplis non ad prudentiam ſolùm & actionem verùm etiam ad intelligentiam, quæque in contemplatione poſita eſt, vitam erudiri velit (quid enim Philoſophia præceptis ad vtrumque vitæ genus inſtituat hominem, hiſtoria exemplis ad illud vnum genus quod in actione poſitum eſt, informet vitam? aut cum homo exemplis ad vtrumque vitam inſtrui poſſit, cur deſeritur in altera?) huic ego occurram oportuniùs ac pro virili ſatisfaciam non multò poſt. Nunc igitur haud ægrè patiamur hoc tempore germanum hiſtoriæ finem eſſe, vt inter humanæ vitæ quaſi fluctus & tempeſtates rerum geſtarum exemplis cautionem nobis paremus ac prudentiam qua ad beatam vitam contendamus. Quæ cum ita ſint, iam licebit propoſitis controuerſijs ſeu Theorematis ſatisfacere. Ac primùm dum illud dubitatur ac requiritur, Num res vetuſtæ an recentes, ſeu num antiqua an verò præſentis ætatis facta, ſint hiſtoriæ commendanda, ego ſanè & vetuſta & recentia vno verbo totius anteactæ ætatis facta, Hiſtoriæ propria exiſtimo. cum enim vtrinque colligere exempla liceat quibus ad res præclarè gerendas incendamur, aut ſaltem vitæ pericula declinemus, ac ſummatim ad prudentiam inſtituamur, quid ni res & vetuſtæ & recentes hiſtoriæ commendentur? præſertim verò quia ratio præſto ſit vnde tum à rebus vetuſtis mendacij ſuſpicio (id quod paulò poſt aperiam) depelli poſſit, tum res præſentes hiſtorici induſtriam requirant. Quòd ſi res vetuſtas hiſtoriæ denegaſſe viſus eſt Gellius, recentes Tullius, equidem videor

I. Explanatur Theorema, ac res geſtas omnes ad Hiſtoriam pertinere oſtenditur.

 mihi

mihi grauissimos authores istos conciliare posse, & in nostram sententiam per commodè consentientérque traducere. quòd si cui incredibile hoc videatur, atque ex iis quæ fieri nullo modo possunt, is tātisper iudicium cohibeat, & qua conciliari possint ratione atque moderatione animaduertat. Ergo nemo non fateatur ea, quæ quis administrarit prospexeritque, posse non modò præsentibus narrari, verùm etiam continenter seculorum decursu ad posteritatem transmitti; idque vel sermone qui à vetustissimis ad præsentes per intermedios veluti interpretes aut internuncios quasi per manus consignetur, vel monumentis quibus res gestę commendantur. Id quod veteres fecisse legimus tum antequam litterę inuenirentur; tum maximè Annalium ope; quibus res cōscriberent, quę annis singulis ac propè in dies acciderent litteris posteritatiísq; memoria non indignę. Itaque olim apud nobiles respublicas aut Nationes in more positū fuit vt Annales conficerentur quibus res gestæ per annos singulos à sacerdotibus integerrimísque hominibus qui res diligenter explorassent ac percepissent, traderentur posteritati. Qui sanè Annales eò fideliores erant & accuratiores, quòd cùm in publicum exponerentur, proindéque paterent omnibus, coargui ac reprehendi facilè poterant Authores vbi non bona fide consulerent posteris. Quid igitur prohibeat quo minus siue Gellius, siue quisquis hanc primus disseminauit opinionem, patiatur atque adeò fateatur à nobis historiam rerum antiquissimarum confici posse? dummodo enim eò res adducatur, vt nisi ab ijs qui res spectarunt & explorarunt, monimenta non excipiamus, ac proinde veritati oculata testificatione consulatur, nihil prohibet quo minùs res etiam antiquissimæ tradantur historię. Contra verò nec M. Tullius inficietur res aut pręsentes aut parum à nostra ętate memoriáque remotas historię commendari posse; dùm tamen fateamur res vetustas in primis historiam requirere; cum, nisi commendentur historię, magno cum mortalium incommodo obscurentur, obsolescant, intereant. Ac profectò res pręsentes aut nuper anteactę non facilè obscurantur atque hominum notitiam effugiunt, si tamen

men commemoratione atque adeò historia dignę sint (neque enim res leues & in quas non animaduertant mortales, at graues in primis & memorabiles deposcit Historia) sed vltro citróque omnium sermone teruntur: antiquę contra recentibus ac nouis labefactatę concidunt tandem obscurantúrque vetustate: vt propterea non tam neget M. Tullius res præsentes esse accommodatas historię (cum pręsertim quę nunc geruntur scribantúrque vetusta futura sint aliquando ac propterea historię censenda nomine) quàm doceat veteres, in quarum seriem & exempla intuendum est vel maximè, vnis historiæ præsidijs ab vetustatis caligine edacíue temporis dente vindicari. quid plura? dum M. Tullius in nobili quam ad Lucceium scripsit epistola, hunc enixè rogat vt sui consulatus facta commendet historiæ, an non concedit ex recentibus quoque euentibus confici? concedit sanè. hoc igitur argumento sit res gestas ex M. Tullio posse vniuersas comprehendi ab Historico: sed tamen vetustas maximè omnium historię quasi lucem requirere. Et huc pertinet quòd Lucceij monumentum de bello Italico quod per idem tempus gestum fuerat, historiam appellat: huc quòd Attici historiam celebrat qua res Vrbis septingentorum annorum, hoc est primas, medias, postremas, quæq; ad eam ætatem pertinebant, prosequutus fuerat. huc quòd *olim* (inquit) *historia nihil erat aliud nisi Annalium confectio*. Annales enim sine dubio ex annuis, ac propterea ex recentibus, factis conflabantur. eodem etiam pertinere potest quod scribit Historiam esse testem temporum: nam testes recentibus non secus atque vetustis adhibentur factis. Quid plura? an non tu M. Tulli Thucydidem inter cęteros, Xenophontem, Philistum, Callisthenem Polybium historiæ laude commendasti? commendasti sanè. At hi omnes multa complexi sunt quibus ipsi interfuerunt, interdum etiam præfuerunt. Ad extremùm (vt addam id quoque) dum in libro primo de legibus, quoniam de historia scribenda cogitabas, requiris à quibus temporibus historiæ scribendæ capiatur exordium, num ab vltimis rebus & peruetustis, an ab ijs quæ per idem tempus contigissent, an

non

non fateris & vetustas & recentes pertinere ad historiam? Quòd si Història (id quod nomen indicat) ea sibi asciscere videatur, quæ ipse spectarit Author, iam nec ambigitur quod à nomine ducitur argumentum, fallax plerumque & infidum esse: nec fortasse qui Platone assentiente ἀπὸ τοῦ ἵστασθαι καὶ τοῦ ῥοῦν dictam velint, quòd labentium rerum veluti fluxum cohibeat ac sistat, à verò absint longiùs. certè Herodotus dum Historiam sibi scribendam proponeret ne res gestæ temporis longinquitate delerentur, ad hoc ethymon alludere vtcunque potuit. Qui etiam Historiam inde nomen inuenisse putant quòd narret, (quo sanè fieret vt Historię vagari liceret latiùs contemnendi non sunt. Vt omittam satis supérque videri posse vt quę cernuntur oculis, principem in historia obtineant locum, ac propterea digna fuerit vnde nomen acciperet: cum tamen alia quoque ad eam reuocari possint. Quo nomine Plutarchus etiam ęqualem rebus æuo scriptorem optare potuit (si tamen huc planè spectabat) etsi ipse quoque antiqua interim monumenta famámque sectetur non grauatè. Nam de Galeno cuius sanè authoritati & iudicio plurimum tribuo, nihil attinet dicere: cum in libro de optima secta ad Trasybulum copiosè doceat pręteritorum ęquè ac præsentium esse historiam. quam rem clarioribus etiam exemplis confirmat, quàm vt de eius sententia liceat dubitare. Quod si aliquando cum αὐτοψίᾳ, & experientia coniungit historiam, id eo consilio fecerit necesse est vt intelligamus ad historiam ea pertinere quę sensu & experientia percepta sint: quod tamen haud prohibet quominus ea quæ saltem eorum testificatione perceperis qui illis interfuerint, & sensu experientiáque deprehenderunt, ad historiam reuocare possis. Certè idem Galenus suos libros multis sparsit historijs quas non tam spectarat, quàm ex probatis authoribus, quos etiam non rarò profert acceperat. Hęc tum vt opiniones propositas, quę alioquin toto cœlo pugnare vidétur, componerem, atque illorum Authores in nostram sententiam commodè traduci posse ostenderem: tum vt primũ illud theorema, vnde cęterorum quoque planior erit aditus,

expla-

explanatem. Cui tamen, vt me inuidia eximam, vnum addere lubet: nimirum non grauatè ferendum si Historicus paulò adhuc liberior sit & solutior; dum enim res vetustas prosequitur, cur non illustrem atque inter viros graues seu non rudes populos peruagatam sequatur famam? etsi enim optandum esset vt ex Annalibus & publicis monumentis hauriret perpetuò, vbi tamen id efficere nequeat, ferendum est vt non obscuram quoque famam sequatur. Id quod cum Herodotus, Thucydides ac nobilissimi quique fecerunt Historici, tum sigillatim Plutarchus, cui idcircò φασὶ ferunt inquam, est familiarissimum. nec aliter de illo statuerim qui præsentis ętatis narret facta, neque enim ægrè ferēdum vt quę à probatis qui interfuerint testibus acceperit, mandet historiæ. quanquam enim expetendum fuerit vt quę scribit, his ipse interfuerit singulis attamen ne Argus quidem spectare posset omnia quæ verbi gratia in bello aliquo aut seditione aut Vrbis ędificatione gentiúmue migratione contigerint. ac proptereа quantumuis diligens spectator fuerit, multa ex commilitonibus & socijs ac summatim ex ijs qui interfuerint, sciscitetur ac discat necesse est. Id quod laudatissimos item Historicos fecisse ij sentirent, qui non oscitanter tractent historias. Denique dummodo non quemlibet ex fœte hominum in consilium adhibeas, sed honestos viros ac probos (his enim & vehementiùs, si Aristotelem audias, & celeriùs, & in ijs maximè quę variè commemorantur, pręstat fidem adiungere) Historici muneri satisfeceris. Ita quidē quatuor rerum gestarū veluti gradus sese tibi offerunt ad historiam conscribendam, Primus earum rerum quas ipse peruideris aut tractaueris: alter illarum quas ex Annalibus ac publicis monumētis (hęc qualia sint & quàm varia, dicam non multò post) hauseris ac deriuaris: tertius earum quas à probatis quíque interfuerint viris acceperis postremus in quibus non obscuram famam, sed illustrem peruulgatámque sectèris. Quòd si ad coniecturas interdū confugere libeat quas proprio ingenio hinc inde ex rebus ducas, non reprehenderim: ita tamen vt singularem rerum gestarum momenta fidémque indices, vt quæ siue coniectu-

Res sensu perceptas sic tribuēdas Historico, vt liberior interdū ferēdus sit qui que aliunde hauriat non pauca.

Res gestas ex quibus conflētur historia, quatuor, vel certè quinque gradibus variari.

ra, siue fama, siue auditione testium, siue Annalibus ac veteribus monumentis, siue spectatione ipsa aut tractatione nituntur, non difficile intelligantur. Hęc item de Theoremate primo.

II. Explanatur, ac res non modò publicas verùm etiam priuatas historiæ mandari posse demõstratur.

Porrò secundum erat illud, Num historia sit rerum quoque priuatarum, ita vt dum res gestæ in publicas ac priuatas distribuuntur, nõ publicas modò, (de his enim inter Authores satis constare videtur) verùm etiam priuatos liceat historiarum, monumentis consignare. De qua re sic statuo. Et publicæ & priuatę pertinent ad historiam. id quod ex proposito historię fine ac munere animaduertere licet. cum enim ex priuatis quoq; haurire exempla liceat, quibus cautionem ac prudentiam pares & vitam instituas, quid ni historicus priuata quoque facta persequi possit? denique priuatis rebus moderandis & administrandis priuata exempla requiruntur, quemadmodum publicis publica. Itaque vxori ac seruis in officio continendis, liberis instituendis, rei familiari administrandę, ac si opus sit augendę, familięque frugaliter honestęque temperandę, ex priuatis rebus exempla & monimenta deriuentur vtiliùs. vt omittam verissimè dici res priuatas cum publicis ita esse permixtas, vt historicus velit nolit, priuatas quoque cogatur attingere ac percensere. præsertim verò quia seditiones, societates, & id genus alia quæ inter publicas res numerantur, sæpè à priuatis rebus atque personis initium ducunt. Itaque uidens non modò priuatorum hominum facta, dicta, denique decreta, vitámque vniuersam à multis posterorum memoriæ consignari, ita vt vel domestica rerum administratio aut eorum qui venationis tractarent studio, quemadmodũ Xenophon, complexi sint, verùm etiam conuiuia peregrinationes, factorum dictorúmq, similitudines (huiuscemodi multa in Plutarchi Paralelis tibi occurrant) amores, infortunia & id genus alia plurima reuocauerint ad historiam. (Quinetiam eos ipsos qui publica Regnorum ac gentium facta narrare decreuissent, priuata etiam, dum tamen memoratu non indigna viderentur, retulisse & cum publicis (id quod apud Herodotum, Diodorum Siculũ, Liuium, atque alios obseruare passim

ſim licet) miſcuiſſe comperias; ita vt à rebus publicè geſtis
ad priuatas non rarò diuertant Hiſtorici. At enim popula-
ris nimium atque humilis euadet hiſtoria, faciléque vileſcet;
cum tamen inter liberales facultates numeretur, atque inge-
nuo viro digniſſima cenſeatur. Sit iſtud. ſed tamen adhuc
erit Hiſtoria. vt enim dies, quantumuis ater & caliginoſus,
dies eſt; ita hiſtoria, etſi in res humiles inciderit, hiſtorię re-
tinebit nomen. quin etiam quemadmodum ferendum eſt vt
interdum publica quoque hiſtoria ad res humiles deſcendat
ac viles, quòd alioquin trunca futura ſit narratio & imper-
fecta; ita priuatarum rerum humilitas æquo animo ferenda
eſt. quanquam nihil prohibet quo minùs ex priuatis factis
illuſtria quoque haurias exempla quibus ad prudentiam ac
virtutem inſtituaris altiùs; quandoquidem res humanę tam
priuatim quàm publicę virtutibus & vitijs, bonis denique
ac malis, refertę ſunt. Denique vt ex priuatis rebus geſtis
non futiles ſeligas & leues quibus hiſtoriam confles, ſed cō-
modas, prohibet nihil. Neque verò infinitum hiſtorico im-
ponimus onus; quandoquidem non eo conſilio res priua-
tim geſtas illi commendamus quòd exiſtimemus omnium
planè texendam eſſe hiſtoriam, ſed earum tantùm quę ali-
quando mortalibus vſui eſſe poſſint ad vitam. qua in re hi-
ſtorici quoque prudentia requiritur, vt ex priuatis rebus ea
ſibi ſcribenda proponat quibus iuuare poſſit hominum ge-
nus & ad prudentiam réſque gerendas inſtituere. quod ſanè
munus, etſi propter varios hominum ordines, ac rerum ge-
rendarum multitudinem, patet quam latiſſimè, vt tamē mul
ta ſine iactura prętereantur aut deſpiciantur fieri & poſſet &
debet. certè opificum opera ſi non aut propter excellentiam
honeſtámue vtilitatem, aut propter admirationem & noui-
tatem, ſint hiſtorico digna ſtylo, ſinè inuidia & crimine poſ-
ſunt prætermitti. Neque verò (vt ad tertium theorema dila- III.
batur oratio) res alioquin publicas & graues, ſed crudeles Explicatur, &
tamen ac ſeuitiæ plenas, ſiue turpes, vt ſummatim dicam, & res quoq; tur
flagitioſas, liceat hiſtorico prætermittere, ſi ad res geſtas pes ac flagi-
pertineant quibus deſtinauit Hiſtoriam. alioquin cum trun- tioſas comme
ca erit & diminuta, tum in ijs maximè deſerentur mortales morandas o-
ſtenditur.

atque

atque exemplis carebunt in quibus vel maximè cautio est cōquirenda. probo enim ac nauo dum euoluit historias, mala quoque obijcienda sunt, vt quoniam hæc in vita obuia sunt passim, hinc perdiscat sibi ab illis abstinendum cauendúmque: prçsertim verò cum facilè animaduertat flagitiosos in pœnas plerunque incurrere, ac sibi tandem perniciem struere: id quod improbo etiam erit reputandum; vt inde non tam dedecoris & periculi quàm laudis & cautionis ansam erripiat. Quod si quis ita perditæ sit mentis ac profligati ingenij vt inde sibi venenum potiùs hauriat quàm medicinam, id verò non arti aut facultati dandum est vitio, sed illius improbitati. Alioquin eloquentia quoque, Medicina, Ars militaris, omnes denique artes & facultates, morali excepta, damnanda essent; cùm morali facultate excepta nulla sit qua mortales per improbitatem abuti nequeant. Tametsi huic quoque malo vtcunque prospicere possit historicus si improba facta cautione quadam commemoret. ita nimirum vt non modò ab fœdis obscœnísque abstineat verbis (prudens enim vir ac solers res quoque fœdas decoris verbis aperiat ac pudicis auribus consulat) verùm etiam facta ipsa sobriè attingat, aut nō sinè tacita indignatione quadam & reprehensione, cum stomacho etiam, si opus sit, illa commemoret. Cur enim decoro ac modestiæ haud seruiat si Lucretiæ stuprum sic narret vt ijs fermè vtatur verbis? Itaque Sex. Tarquinius amoris impatiēs, nec reputās nil euertendis Regnis perniciosius quàm stupra, Lucretię vim afferre non dubitauit. aut cur rursus offendat si dixerit, Herodem, vt se omni liberaret metu (si tamen immanis sæuitia metu omni vacare potest) Bethlcæmitas pueros, etsi innocentissimos trucidari voluisse, ac ne filio quidem (vt scilicet magis inauditum ac tetrum esset scelus) pepercisse? Ita quidem nec trunca erit historia, nec scelesti hominis peruicaciam nutrias, sed quantum in te est cohibeas ac frangas. Certe magnus rerum æstimator M. Tullius cum ad historiā scribendam Lucceium hortaretur, quæ laudem mererentur, comprobari; quæ vituperatione digna essent, reprehendi, sigillatímque hominum perfidiam, insidias, proditiones liberiùs notari iubebat. Quòd si Poëtæ ob turpium rerum

imitatio-

imitationem Vrbibus pellebantur aliquãdo, id partim con-
tigit quòd interim conuicijs & maledictis onerarent morta-
les, probos sæpè (id quòd Aristophani ac veteribus Comi-
cis accidit) non minùs quàm improbos traducentes; partim
quia obscœnis imitationibus vnde mores corrumpebant, eo-
rum terminabatur industria: quasi verò ad obtrectandum
ac maledicendum nati esset. alioquin si vitijs (id quod boni
Poëtæ faciunt) virtutes opposuissent, vt intelligeretur qua
ratione obuiã illis eundum esset, ac summatim bona & mala
sic miscuissent, vt, quoniam in ijs perpetuò versamur, quid
fugiendum sequendúmue sit, doceremur, haud illis sanè
fuisset exulandum. Vt propterea historicus qui bona & ma-
la eo refert consilio vt hæc declines, illa secteris, ac summa-
tim cautior efficiaris, & hac de causa flagitia redarguit, cõ-
mendat virtutes, sigillatímque obscœna facta non obscœnis
verbis, perinde ac Poëtæ illi, sed pudicis ac verecundis de-
scribit, in Vrbibus sit retinendus atque inter ciues optimos
numerandus. Sed iam video me nescio quo pacto ad quar-
tũ Theorema dilapsum esse. In hoc enim quærebatur num
vituperatione ac laude percensenda essent turpia aut hone-
sta facta. De qua re adhuc est quod moneamus, præstare
omnino res flagitiosas inprimis ac turpes sugillare: præcla-
ras atque honestas probare; vt nimirum tum ex infamia sit
metus, tum ex laude æmulatio. mirum est enim quantopere
mortales siue à scelere deterreantur infamia, siue ad præcla-
ra facta laude incendantur ac spe gloriæ. Neque verò quid-
quam prohibeat quominus Historicus interim sinè crimine
id faciat ac pro munere, dum tamen virtutum momẽta æsti-
met per transennam & nisi strictim ac perpaucis (sed grauis-
simis tamen) res improbas cum vituperatione, præclaras non
sinè laudis significatione, commemoret. Aliud est enim sty-
lum ad vituperationem acuere aut laudationem instituere,
aliud cursim atque vno ferè verbo aliquid sugillare aut pro-
bare. quis enim pugnauerit historicum Ciuilis aut Oratoris
personam subire si dixerit perditissimum adolescentem non
dubitasse vim inferre lectissimæ fœminæ & honestissimæ, sé-
que ac Regium parentem in vitæ discrimẽ per intemperan-
tiam obiecisse? aut cur è contrario nõ feratur historicus qui

IV.
Res turpes nõ sinè vituperatione aliqua, probas nõ sinè laudis significatione percensendas.

dixerit

dixerit Mutium quippè generosum adolescétem ac ciuem optimum, patriæ studio incensum & charitate, non dubitasse suo capiti salutem Reipublicæ anteponere? & tamé hac ratione cum Mutium laudet, tum cæteros ad patriæ charitatem incendat Historicus, idq; paucissimis & cursim. ex quo fiet vt Eloquentiam aut Ciuilem scientiam minimè ostentet, ac tanquam tricorporem Geryonem referat, sed intra historici sese cohibeat fines, atque huius tantùm personam agat. Quod si Cæsar rerum à se gestarum consiliorúmue laudatione, aut vituperatione supersedit, cum tamen & Eloquentiæ & bellicæ prudentiæ laude excelleret, vnde illa suo veluti iure ornare posset, moderatè ille quidem ne sibi ipse canere ac præconibus Olympicis impudentior videretur. ij enim victoribus coronam imponebant quidem atque eorum nomina clara voce promulgabant: sed tamen, si fortè ipsi etiam ante ludorum missionem corona donarentur, alium præconem adhibebant ne sua ipsi voce sese victores pronunciantes ac prædicantes, inuerecundi, ne dicam impudentissimi, haberentur. Quapropter sat habuit Cæsar aliena facta insimulare interdũ, aut probare (etsi perrarò quòd breuissimam texeret historiã, atque Annalium Scriptores propemodum imitaretur) sua certè haud debuit. Quod si historia est temporum testis, est etiam magistra vitę: ita vt eius quoq; sit aliena flagitia perstringere, pręclara facta probare, vt inde perdiscamus quid sectari oporteat aut declinare. Itaque egregiè Diodorus ille Siculus *Æquum est* (inquit) *& verò communi vitæ conducibile malos literarum monumentis vituperari, probos contra commendari: nam maiorum æmulatione atquè memoria posteritas ad communem beneficentiam incitatur*. Denique Polybius atque optimi quique historici muneris æstimatores omninò faciendum putarunt vt Historicus castigaret vitia probarétque virtutes. id quod tum cæteris mortalibus vsui est non mediocriter, tum Regibus maximè ac Principibus, qui (vt ait Tacitus) perpetuam sui memoriam expetunt insatiabiliter. Sic sanè non temerè bona fundat ac mala, sed delectu aliquo vnde vtilior euadat historia. Et hac de causa historicum dicendi & intelligen-

di planè rudem equidem non probarim. Etſi enim non is ſum qui Oratori aut Philoſopho hiſtoriæ ſcribendæ tranſmittam onus, ac proinde omnino iubeam vt Eloquentia & Philoſophia compleuerit pectus, vt tamen in dicendo & intelligendo planè rudis hebéſue ſit non patiar. Denique illum in Ciuili Philoſophia vtcunque verſatum eſſe velim, vt Virtutis ac vitij momenta non ignoret: dicendi quoque exercitatione ita excultum vt animi ſenſa exprimat non incommodè. ſed de dicendi ratione copioſiùs paulò poſt. At quid de cauſis? Cauſæ cur reticeantur, nihil eſt; cur exponantur, multa. etenim mens (id quod iamdiù ſignificare cœperam) non facilè expleatur, nec acquieſcat animus, ſi euentum aliquem, præſertim admirabilem aut grauem, offenderit, cuius cauſam ignorarit. contra verò cauſa cognita, conquieſcet. quanquam non intelligentiæ ſolùm conducit cauſarum cognitio, verùm etiam prudentiæ: ſiue enim euentus ille ſit quē æmulari, ſiue quem cauere, oporteat, cautiùs te geras vbi rerum geſtarum cauſas conſiliáue reſcieris. denique euentus non rarò fortuitus videri ſolet & cum temeritate coniunctus, ita vt ſiue fugiendus ſit ſiue ſectandus, non facilè rationem perſpicias ac viam. quod ſi cauſam agnoueris, rationem quoque excogitare poſſis atque artem vnde oblatum exemplum imiteris declinéſue pro opportunitate. Nam qui dixerit integritatis ac frugalitatis ſtudium ac famam ad Regnum Numæ profuiſſe, libidinem contra & violentiam Tarquinijs obfuiſſe, is faciliùs cautionem ſibi prudentiámque paret vnde adipiſci vel tueri poſſit dominatum. Denique cauſæ non exiguam hiſtoriæ authoritatem addunt, ac fidem in primis conciliant dicenti. Neque verò Philoſophi perturbet officium qui cauſas commemoret. Philoſophus enim rerum vniuerſim, Hiſtoricus ſingularum, prodit cauſas. Itaque Philoſophus tonitrui, iridis, auri cauſam refert, non huius aut tonitrui, aut iridis, aut auri. Hiſtoricus contra huius victoriæ cladis, fœderis ſigillatim. Difficilius eſt quod ex obſcuritate ducebatur argumentum. conſilia nanque & cauſæ ſæpè latent: ſæpè etiam variæ ac pugnantes ſparguntur ac diuulgantur. ita vt Hiſtorico quippe veritatis nuncio ſa-

V. Cauſas non eſſe retinēdas.

tius sit ea præterire ac reticere. Ego verò non is sum qui existimem ad historias ita rerum gestarum causas pertinere vt vel causæ aperiendæ sint, vel historiæ scribendæ munere supersedendum. nam sat suo muneri satisfecerit Historicus, si causas exposuerit vbi liceat. neque enim idcirco omni planè vtilitate spoliabitur historia: cum ipsi etiam rerum euentus nos admoneant, ac pondus habeant suum. Quanquam vbi germanæ ac certæ ignorentur causæ, aut diffidentes vulgentur & variæ, nihil prohibet quominus historicus credibiliores attingat, tantùm. ita tamen vt fateatur rem minùs compertam esse. Illud tamen addiderim breuiter attingẽdas causas, cum non tam per se, quàm rerum gestarum gratia commemorentur, nec tam causæ, quàm euentus & exempla rerum quærantur. & idcirco sinè causarum narratione existere potest historia, etsi minùs perfecta videri possit: (quanquã Annales fortasse sinè causis perfecti sint, de qua re suo loco) sinè rebus gestis, nullo modo. Itaque dum M. Tullius non modò narrari iubet quid actum aut gestum sit & quo modo, verùm etiam vt causæ explicentur omnes vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis, non possum non assentiri. contra verò illos qui narrationem sinè causis fabulam haberi iubent, aberrare censeo longiùs. Nunc Theorema illud explanemus in quo de concionibus quæ interponi solent, fuit quæsitum. Dum enim Thucydides historicus nobilis inter Græcos Liuius etiam inter Latinos, clarissimus, conciones adhibent historiæ, idque frequenter; Polybius contra ex Græcis, Cæsar ex Latinis, magnus vterque Author, non facilè ad eas descendunt, videndum est quos præstet imitari. Porrò autem conciones tripartitò variantur apud Historicos. interdum enim alicuius concionem sic refert historicus vt non alium loquentem faciat sed eam ipse; rebus quæ in ea continerentur, ex ordine decurrens, enarret, ac prosequatur. atque hæc obliqua dicitur à quibusdam. interdum aliorum nomine loquitur historicus perinde atque Epicus, ita vt alios loquentes introducere videatur; & hæc recta dicitur concio. interdum denique historicus rem ex propria persona commemorat priùs, tum sensim aliquem facit loquentem, ita vt ab obliqua ad rectam progrediatur: & hæc mixta iurè ac meritò appelletur. Qua-

V. Causæ non interserendæ.

VI. Cõciones præsertim rectas aut paulò longiores nõ esse interponẽdas.

propter si Lucius (vtrem exemplis illustrem) sic scriptum reliquisset, Tum Scipio ratus, antequàm classicum iuberet cani; milites cohortandos ad pugnam, è superiore loco illos admonere cœpit, vt anteactas victorias recolerent animo, quaéque strenuè ac tãta cum laude pro Repub. gessissent, in memoriam reuocarent: hinc enim fore vt pari animi magnitudine illo dimicarent die, ac victoriam sinè vlla dubitatione reportarent. itaque omnino illis faciendum vt nihil prætermitterent vnde fortissimi militis explerent partes, atque adeò Romanæ Reipublicæ dignitatem ac salutem, quæ in eorum fortitudine ac Virtute vel maximè niteretur, conseruarent augeréntque pro virili; si inquam ita scripsisset Liuius, obliqua vsus esset concione. Quod si è contrariò scriberet, Tunc Scipio sese militibus in conspectum dedit, quos hunc in modum est cohortatus. Sat scio commilitones eam esse animi vestri virtutem ac fortitudinem vt cohortatione indigeatis nulla: sed quæ est vestra alacritas, classicum cupidissimè expectetis: vt primo quoque tempore cum hoste congredi liceat cúmque Dijs benè iuuantibus fundere ac profligare. sed tamen ne meo ipse muneri defuisse videar, faciendum mihi existimaui vt ad pugnam uos cohortarer. in qua sanè haud dubito quin strenuè ac fortiter dimicetis, & præclaram victoriam reportetis, si superiorum temporum uictorias ac laudem recolatis. neque enim quisquam aut in Hispania aut in Africa factorum uestrorum & magnitudinem & multitudinem non hactenus admiratur: nemo non ingenuè fatetur uestro inprimis labore ac sudore, uestra animi & corporis contentione, Romanam gloriam mirificè auctam & propagatam, non modò conseruatam & ab immanissimis hostibus defensam. Huic igitur laudi ueluti colophonem imponatis oportet hac die, vt anteactas victorias hodierna cumulantes, Romani Imperij salutem, dignitatem, authoritatem in æuum sartam ac tectam conseruetis. si inquam hunc in modum loquentem fecisset Scipionem, rectam interposuisset concionem. Quod si denique ita scripsisset Tunc Scipio illos admonere: pericula quæ imminerent ostendere: quibus artibus superanda essent edocere: veterem

eorum virtutē collaudare, ac miris modis anteacta illorū facta extollere: egregiam denique victoriam polliceri, si parem alacritatem afferrent ac fortitudinem. Quidni enim certam nos victoriam manere intelligā si quem in Hispania dimicandi ardorē toties in vobis expertus sum, hunc in Italia, atque hoc in loco, hac ipsa die perspexero? quod vt mihi polliceatur tum vestrûm omnium vultus atque ardor efficit, tum Populi Romani, qui ferè ante ora nobis versatur, amplitudo ac maiestas. Hinc inquam licet mixtæ concionis vim agnoscere, in qua sensim ab obliqua ad rectam deuentum est. Et quamuis de recta maximè queritur quæ Poëticum planè referre videtur stylum; de singulis tamen aliquid dicendum est. Sic igitur statuo. Recta concio suspiciosissima est tota, quaéque historiæ fidem non possit non aut euertere aut minuere. quis enim credat aut ea Imperatorem verbi gratia qui plerunque dicendi Virtute minùs valeat, & verò ex tēpore sæpè loquatur, eo planè artificio & apparatu quo Thucydides & Liuius vti solent, concionē habuisse? quòd si habuerit, quî id resciat historicus? aut si resciat, qua ratione verba planè ad vnū exceperit memoriaéque mandarit quæ monumentis consignaret Historiæ? Itaque facilè intelligatur plerosque in ijs cōcionibus ingenium & Eloquētiam ostentare, ac summatim verisimilia potiùs quàm vera sequi. tametsi interdum ne verisimilia quidem sequuntur, sed pro arbitratu comminiscũtur. Itaque Thucydides (vt rem exēplis illustrem) Periclem pro concione perpaucos quosdā milites facit laudantē, qui fortè à Bœothis in Phrygijs interfecti fuerant, cum tamen sinè vlla dubitatione eiusmodi concionem temerè Pericli affingat. siquidem nihil minùs verisimile est, quàm Oratorem grauissimū quindecim aut viginti gregarios milites (tot enim fuerant quorum causa funus ac laudatio instituitur) tam luculenta oratione celebrasse, cum præsertim in fuga cecidissent, ac nullam patriæ vtilitatem peperissent. denique ùt in re tam minuta publica laudatio habita sit, & à Pericle habita, ne iuranti quidem crediderim tantum abest vt eam Thucydides totidem verbis perdiscere ac referre potuerit.

Atque idem fermè de Sallustio conijcere licet, apud quem Catilina in abdita ædium parte arbitris procul remo-

tis omnibus, ad Coniuratos orationem habet luculentam. At quis, obsecro, talem orationem vel à Catilina cum aperto capitis periculo promulgatam, vel ab auditore aliquo totidem verbis exceptam memoriaéue mandatam, vel Sallustio, hoc est Mariano & Catilinæ Syllanísque infenso, communicatam crediderit? Quas verò in Coniurationis progressu orationes habet vel Cæsar, vel Cato, vel Catilina rursus ad milites, nemo non videt eiusdem authoris stylum referre proindéque Sallustianas ac fictas esse omnes. etsi enim fieri potuit vt Cæsar & Cato in Senatu ea de se sententias dixerint, atque adeò breuem aliquam concionem habuerint, fieri tamen haud potuit vt quas planè illas facit Sallustius & verbis fuerint & sententijs. præsertim verò dum Cato & ex ordine & acutè satis (id quod ægrè fieri possit ex tempore) Cæsaris refellit argumenta.

De Liuio autem nihil attinet dicere, quem & ingens numerus concionum & dictionis figurarum stylíque similitudo redarguit. Certè M. Tullius perspicuè docet superioribus seculis Romanos horridiore dicendi genere vsos esse atque orationis ornamenta penitus ignorasse; & tamen Liuius elegantes, argutos, venustos facit illos. *Romulus Quirites* (inquit Proculus Iulius) *parens Vrbis huius, prima hodierna luce cælo repente delapsus, se mihi obuium dedit. cum perfusus honore venerabundus assisterem, petens precibus vt contra intueri fas esset, Abi, nuncia, inquit, Romanis cælestes ita velle vt mea Roma caput orbis terrarum sit. proinde rem militarem colant, sciantque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.* sic Proculus. quis verò crediderit Proculum qui Romuli tempore vixit, sic loquutum fuisse? denique Dionysius qui de Romuli morte accuratissimè scripsit, ac varias multorum opiniones commemorauit, tale quidpiam ne indicauit quidem. Mitto quòd & Carthaginensium & Locrentium ac summatim exterarum gentium multarum legatis vetustissimis quoque Sabinorum, quos tamen tetrica disciplina imbutos facit, Latinorúmque populis, eiusdem elegantiæ & concinnitatis tribuitur sermocinatio. Mitto quod exaggeratas

illas & bene longas T. Quintij, C. Canuleij, Ap. Claudij, Furij Camilli, Sp. Posthumij atque aliorum huiusmodi qui multis ante seculis floruissent, conciones fingere quidem potuit, legere certè non potuit. nam vt concedam conciones habere potuisse, certum est Annales ex quibus res gestas percepit sermones illos prætermisisse ac facta ipsa tantùm attigisse. Idem dixerim de ijs quas Annibali, Scipioni, Sophonisbæ, vno verbo, minùs antiquis gentibus tribuit conciones: nam præterquam quod fieri nullo modo potuit vt dissimillimorum hominum stylo quamsimillima fecerit oratio, Annibalis ac Scipionis Conciones vel ex eo fictas esse intelligas, quod quæ de secundo Punico bello scripsit, ex Polybio deriuauit, & tamen Polybius qui plerisque interfecit, ne vestigium quidem vllum talium reliquit concionum. Sed quoniam in confesso est apud omnes Liuium rectis cōcionibus vsum licentiùs & ad Thucydidis Sallustijq; eloquentiam æmulandam, satius sit ad mixtas progredi quę ad rectas accedunt proximè. de quibus quid sentiam ex vna atque altera huiusmodi concione quæ sese in 1. Libro offert, declarabo. Igitur quo tempore inter Romanos & Sabinos atrox commissa erat pugna, raptas Sabinas inducit Liuius hinc inde inter tela ipsa cursitantes, vtrinque exercitibus supplicantes vt ab armis desisterent. qua in re mirum est quantopere affectibus ac dicendi ornamentis respersa sit oratio. ita vt nemo non animaduertere possit non tam ad veritatem quàm ad eloquentiam ostentandam compositam esse totam. *Tum Sabinæ mulieres* (inquit Liuius) *quarum ex iniuria bellum ortum erat, crinibus passis, scissaque ueste, uicto malis muliebri pauore, ausæ se inter tela uolantia inferre: ex transuerso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras, hinc patres hinc uiros orantes ne se sanguine nefando soceri generique respergerent. ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberum hi progeniem. Si affinitatis inter uos, si connubij piget, in nos uertite iras. Nos causa belli, nos uulnerum ac cædium uiris ac parentibus sumus. Meliùs peribimus quàm sinè alteris uestrum uiduæ aut orbæ uiuemus.* Hæc istæ. quarum improuisa oratio nec vna eadémque esse potuit omnium, nec

tam ar-

tam artificiosa & plena motibus animorũ: plures enim affectus quàm verba. Itaque factũ illud multò aliter describitur ab Halicarnasseo authore accuratissimo. Venio ad alterã. *Moti homines* (inquit Liuius) *P. Horatio patre proclamante se filiam iure cæsam iudicare: ni ita esset, patrio iure in filium animaduersurum fuisse. Orabat deinde ne se, quem paulò ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Inter hæc senex iuuenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur, ostentans, Huccine, aiebat, quem modò decoratum ouantemque uictoria incedentem uidistis Quirites, eum sub furca uinctum, inter uerbera & cruciatus uidere potestis, quòd uix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent? I lictor, colliga manus quæ paulò ante armatæ Imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris Vrbis huius: arbori infælici suspende: uerbera uel intra Pomerium, modò inter illa pila & spolia hostium, uel extra pomerium, modò intrà sepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc iuuenem potestis ubi non sua decora eum à tanta fœditate supplicij uindicent?* sic Liuius. cuius sanè oratio quãtum affectibus seruit & ad misericordiam inprimis ciendam conflata est, tantum ab historica deerrat fide. Denique cum à Dionysio authore grauissimo res tota multò aliter commemoretur & verò ad fidem egregiè, facilè intelligere licet Liuium ea de caussa Horatium à Duumuiris damnatum significasse vt inde commodiùs afflictum parentem induceret calamitatem hanc deplorantem, ac Regis populique fidem & clementiam implorantem. alioquin (si Dionysio credimus) damnatus nunquam fuit, sed post aliquam contentionem absolutus est. Vt propterea non modo suspiciosæ verùm etiam passim falsæ appareant huiusmodi orationes. Igitur conciones cum rectæ tum mixtæ prætermitti ab eo poterant non sinè laude: idque tum vniuersim omnes tum longiores & operosiores. Iam verò conciones obliquæ minùs suspiciosæ videri possunt, cum non tam verba quàm dictorum summam sequantur. nam minùs abest à verisimili ut historicus resciuerit eorum quæ concione continentur summam & capita, quàm vt verba ipsa & rescire, & memoriæ

mandare, & literis consignare potuerit: sed tamen ne istæ quidem aliqua suspicione carent; tum quod interdum difficile quoque sit vt historicus concionum summam & capita resciat (fluxa enim est quaéque aures animumque facilè præteruolat oratio) tum quia verendum est ne author ipse quæ sibi probabiliter dici potuisse videantur, Imperatori verbi gratia seu legato affingat, quòd alioquin ieiuna videri possit historia. Quapropter in Cæsare Polybio atque ijs historicis qui vel præfuerunt vel interfuerunt, non grauatè conciones feram obliquas, atque illis fidem, nisi tamen aliunde labefactetur, adiungam; in ijs certè qui aliena planè scribunt, non facilè illas feram, præsertim elaboratas & longiores: hinc enim fides minuatur ac vacillet necesse est. Itaque *Annibal* (inquit Liuius) *aduocata concione, variè militum versat animos castigando adhortandoque. Mirari se qui nam pectora semper impauida repens terror inuaserit. per tot annos vincenteis eos stipendia facere, neque antè Hispania excessisse quàm omnes gentesque & terræ eæ quas duo diuersa maria amplectantur, Carthaginiensium eßent. indignatos deinde quòd quicunque Saguntum obsedißent velut obnoxam sibi dedi postularet Populus Rom. Iberum traiecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem terrarum. tum nemini visum id longum cum ab occasu Solis ad exortum intenderent iter: nunc postquam multò maiorem partem itineris emensam cernant: Pyreneum saltum inter ferocissimas gentes superatum: Rhodanum tantum amnem, tot millibus Gallorum probibentibus, domita etiam ipsius fluminis vi, traiectum: in conspectu Alpes habeant, quarum alterum latus Italia sit, in ipsis portis hostium fatigatos subsistere, quid aliud Alpes eße credentes quàm montium altitudines? fingerent altiores Pyreneis iugis: nullas profectò terras cœlum contingere, nec inexpugnabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes, peruias paucis eße exercitibus inuias? eos ipsos quos cernant, legatos non pennis sublimè elatos Alpes transgressos. nec maiores quidem eorum indigenas, sed aduenas Italiæ cultores has ipsas Alpes ingentibus sæpè agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modò tutò transmi-

sisse. Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti quid inuium aut inexpugnabile esse? Saguntum vt caperetur, quid octo menses periculi, quid laboris exaustum eße? Romam orbis terrarum caput petentibus quicquam adeò asperum atque arduum videri, quod inceptum moretur? cœpiße quondam Gallos ea, quæ adiri posse Pœnus desperet? proinde aut cederent animo atque virtute genti per eos dies toties ab se victæ, aut itineris finem sperent campum interiacentem Tiberi ac mœnibus Romanis. sic Liuius; obliqua etiam concione militaris prudentiæ ac Eloquentiæ vires ostentans. quandoquidem Polybius in quo Liuius interim hæret totus, hac de re ne verbum quidem. Vt propterea satis constet res in hoc bello gestas ex Polybio sic deriuasse Liuium vt conciones proprio marte conflauerit interposueritque ne sui dissimilis videretur. Quocirca quod Trogus, Iustino teste, reprehendebat in Sallustio ac Liuio dum rectis concionibus vterentur, ipse quidem ad mixtas, quoniam ad rectas deflectunt; ad obliquas etiam vtcunque, traduxerim: dum scilicet vel longiores sint, vel operosiores: aut etiam in earum rerum gestarum narratione interponantur quæ sint antiquissimæ aut ex vnis Annalibus depromptæ: ac summatim non splendidas referant veritatis notas. ita sanè, dum obliquis concionibus moderatione & cautione retentis, reliquum istud dicendi genus Epicis libenter transmiserim. præsertim verò quia historico aliunde concilianda est gratia & iucunditate respergenda narratio, nimirum fidelitate, ordine, perspicuitate, sed varietate inprimis & nouitate quæ duo iucunditatem sæpè afferunt & admirationem. Ac fortasse id persensit Thucydides ipse qui cum in sex prioribus libris tam multus fuisset in concionibus, in postremis tamen eas planè valere iussit: tametsi alioquin in his quoq; propter legatorum & conuentuum frequentiam æquè cadere possent. itaq; hac in re posteriores libri potiùs quàm priores fuissent Sallustio & Liuio imitandi. sic enim non modo theatrale illud dicendi genus & amplificationibus plenissimum declinassent, temperatū & vno verbo historicum sequuti essent, ac dictis fidem inprimis conciliassent, verùm etiam, quoniam conciones, quippe

alienæ, interdum & rebus impedimentum, & Lectoribus molestiam afferunt, scribenti quoque tempus retorqueat, Historię ipsi ocium ac laborem vtiliùs trāsmisissent. Quòd si tibi naturam ducem sequi videaris dum alicuius orationem & eiusdem personam effingens, exprimas, vide ne mimum potiùs agas quàm historicum, atq; alieno loco te imitatorem præstes; nisi fortè graue aliquod dictū perbreuémque sententiam ex aliena recenseas persona quòd maiorem habere authoritatem, vbi ijsdem planè verbis vsus fueris, videatur oratio: quod non modò non improbo sed laudo. Hæc de concionibus. nam vt apologis aut liberioribus prosopopœis vtatur aliquando si quem fortè illis vtentem deprehenderit (id quod in Menenio Agrippa facilè contigit Liuio) non prohibuerim; dum tamen cauerit ne isthæc concione, præsertim recta & longiore, commemoret. siquidem aliud est fingere & comminisci, aliud quæ finxerit alter ac protulerit bona fide commemorare. quin etiam si hæc non tam aliena commemorans quàm ad rem aliquam commodiùs declarandam excogitarit ac narrando interposuerit Historicus ipse, nihil est quod reprehendatur, nisi illius iudicium atque industria aliunde sit requirenda. Dum verò quęritur, Num historico lumina orationis & ornamenta atque adeò eloquentia sint narrationi adhibenda, sic status. Prouidendum est diligenter bono historico primùm vt emendata sit eius oratio & pura: cum enim inquinata oratio ac barbara ne in Philosopho quidem aut etiam in Iurisconsulto feratur sed reprehendatur, quî ferri possit in Poëta aut Oratore aut Historico à quibus maximè puræ & emendatæ locutionis exempla petenda sunt? Deinde vt sit perspicua. nam si quæ laus historicum decet maximè, ea est perspicuitas. & quidem obscuritas in doctrinis omnibus reprehenditur, ac propterea in omnibus, quoad eius fieri potest, studendum est perspicuitati: in Eloquentia tamen & Historia quæ fermè res populares & in medio positas persequuntur, obscuritas ferri nec potest nec debet. itaque rerum abditarū difficultas excusabit sæpè Philosophum aut Medicum; Oratorem certè atque Historicum non excusabit. Atque hac de

VII. Historicam locutionē haud fingendā Oratoriæ persimilē, & quæ sint historicæ locutiōis leges.

I.

II.

III.

causa

causa vt sit propria ac significantissima enitetur pro virili. nam metaphoræ ac verborum sententiarúmue figuræ aut etiam epithetum copia Poëtæ relinquenda sunt vt varietur & exornetur oratio, simúlque admirabilis ne dicam hyperbolica efficiatur: ac Historico cui perspicuitas maximè, quemadmodum veritas quærenda est, verborum adamanda proprietas. Ita fiet vt quemadmodum floribus atque coloribus admirabilis nitor accedit ac decus ex solis præsentia, sic historico sermoni decus conciliet perspicuitas proprietásque verborum. Neque verò breuitas reprehenda est, sed quantum perspicuitas ferat, colenda. nam prospiciendum quoque est ne dum breuitatem sectamur, obscura fiat oratio. Denique ne redundet cauendum est quidem: ne obscura fiat, fugiendum vel maximè. Quare libentiùs feram vt oratio paulò manet latiùs, dumtamen candorem perspicuitatémque referat, quàm vt tantillum obscuritatis rebus offundat. Ad extremùm erit æquabilis ac fluet temperatè: vt enim oratio grandiloquum dicendi genus sectetur interdum, modò temperatum, aliquandò humile, ita vt varietur, facilè fortasse feratur aliquādo in Oratore aut Poëta; in Historico certè non feratur. Sic sanè Historicus nec calamistratus incedet ac pictus, nec orationis vbertate delectabitur & copia: illud enim Poëtæ, hoc Oratori tribuendū est quidem; Historico nullo modo. Itaque Poësis Regiæ sponsæ fingatur similis quam aurum decet ac purpura: cui flores etiam ac gemmæ decus adiungunt ac dignitatem. Referat Oratoria dictio nobilis matronæ honestatem ac maiestatem, in qua cultus, habitus, incessus sit grauis, nobilis atque decorus; ita vt candor etiam ac nitor; non externus ille quidem & conquisitus sed natiuus, in ea eluceat. At historica locutio matrem familias exprimat, quæ vbi munditiam retinuerit, maiora ornamenta non quæret. Ac propterea simplex erit, pura, naturalis, æquabilis ac temperata. Ex quo fiat vt Atticam siccitatem vtcunque referre possit, aut certè proximè ad eam accedere; perfectæ Eloquentiæ laudem sibi vendicare haud possit. Aliud est enim narrare, aliud exornare: aliud rerum, aliud verborum vbertate capere

Margin: IV. (beside "tia, sic historico sermoni…"); V. (beside "rebus offundat…"); Historicæ dictionis imago atque descriptio.

pere animos. Ita demum omnino enitetur Hiſtoricus ut rerum veritate & varietate ſimúlque proſpicuitate alliciat ac teneat auditores, ijſdémque non voluptatem modò ſed vtilitatem inprimis afferet. at vehementes animorum motus, proindéque amplificationem & huiuſmodi alia Oratori concedet non grauatè. Quæ cum ita ſint, non bicorporem finges Hiſtoricum, quaſi verò illi Oratoris quoque perſonam affingas: non eloquentiſſimum à ſcribendo deterreas: non eloquentia ſuſpicionem crees hiſtoriæ aut iucunditate vtilitati officias: nec eloquentiæ gloriolam Thucydidæo captes more. Contra verò non plebeis aut imperito cui obuia eius erit ſcriptio; non candore carebit aut dignitate non pedeſtris omnino Piſonianæ inſtar incedet, aut inculta planè & horrida ſeſe offeret: ſed quoniam auream ſectabitur mediocritatem, ſuum illa decus authoritatémque retinebit egregiè. Nam quid cauſæ fuerit cur M. Tullius pronunciauerit aliquando, Oratori ſcribendam eſſe hiſtoriam, opportuniore loco explicabitur. Nunc tantum dicam eò vel maximè ſpectaſſe vt Latina hiſtoria ex rudi & inculto illo dicendi genere eximeretur quo eam Piſo, Fannius, Vennonius, atque alij complexi eſſent: nam res non modò ſtrictim & Annalium more verùm etiam horrido planè ſtylo proſequebantur; ita vt Romanos a legendo deterrerent, tantum abeſt vt vel tantillum allicerent. alioquin pura & illuſtri breuitate ſcribi iubet hiſtoriam. & hac planè de cauſa Cæſaris Commentarios mirificè commendat in Bruto. *Commentarios* (inquit) *ſcripſit rerum ſuarum valde probandos*. ſed cur obſecro? num quia Eloquentiam & Oratoriam maieſtatem referant? minimè verò. *Nudi enim* (ſubdit) *recti & venuſti ſunt, atque omni ornatu orationis tanquam veſte detracta*. vbi nudos appellat eos quia Oratorijs ornamentis tanquam aliena veſte carerent nec Oratorio more compti eſſent ac lenocinijs inſtructi. rectos ac venuſtos, quia tum incorruptum ac ſanum dicendi genus, tum naturale non artificioſum decus referrent, ac ſummatim Oratorijs fucis & pigmentis vacui, natiua quadam venuſtate delectarent. Vt enim mulieres quædam quia nihil oleant, be-

nè olere dicuntur,& quòd ornamenta negligant venustæ videri solent,sic historica oratio. denique cũ perspicuis verbis scribat Commentarios illos nullo ornatu orationis fuisse instructos tanquam veste detracta,quis Cicerone authore oratoriam industriam,hoc est Eloquẽtiam requirat in historia? Ex quo sanè fit vt quo quisque historicus magis intrà eos fines sese cohibeat quos paulò ante historicæ dictioni præscripsimus, eò in hoc genere præstantior habendus sit. Atque hoc nomine (si me audias) Thucydidem, Polybium, Sallustium, Liuium, Græcos denique Latinósque historicos omnes diiudicare liceat, & quantum ad perfectam accesserint, dicendi formam statuere, vbi de dictione historica & eius laude disputetur. Atque idcircò nullo modo carmen (iam enim ad octauum Theorema sese conuertit oratio) sed ne Oratorios quidem numeros adhiberem historiæ. etsi enim haud magnopere pugnarim historiam quæ carmini comendetur, historiæ vim ac naturam amittere, præsertim verò si reliqua Poëtica lumina & ornamenta illi vix insint vlla: perfectam tamen atque omnibus numeris absolutam censeri posse pernegauerim, imò verò à perfecto etiã atque etiam abesse fidenter affirmauerim. cum enim metrum dedeceat oratorẽ, quid ni ab historico longè abhorreat? quapropter olim sapientes quosdã leges & id genus alia carmini illigasse quò in populorum memoria hærerent altiùs, crediderim equidem; vt propium inde habitum cultúmque referrent, non crediderim: præsertim verò quia, vt initia sunt fermè rudia & impolita, prisci illi mortales non tã decori causa metrum admiscerent doctrinis τὸ πρέπον spectantes, quàm voluptatis aut memoriæ gratia: ita vt quid eruditiori ætati ac politiori hac in re placuerit, spectare præstet & sequi. Et sanè quemadmodũ Matronam aut Matrẽ familiæ non decet Sponsæ aut puellæ cultus, ita dedecet Historiam Poëtarum numerus ac modus. Vt omittã vix fieri posse vt carmen epithetis, metaphoris ac tropis vacuum sit, à quibus fermè abstinere debet Historia. Quod si imitatione non verò carmine Poëtam ab Historico distinguit Aristoteles, ac propterea Ilias, si ad solutam orationem redigeretur, adhuc Poëmatis censenda esset nomine,

VIII. Metrum historiæ nullo modo adhibendum.

ne, quemadmodum Herodotum haberi iubet Historicum, quamuis carmine concluderetur; adhuc tamen & Iliadem quæ carmine, & Herodoti Historiam quæ soluta oratione, vacua esset, à perfecto abesse fateretur. Siquidem idcirco carmen etiam in Poëmate requirit, quocunque tandem illud requirat nomine. Nam de Platone ac sexcentis alijs qui carmine Poëma constituunt vel maximè, nihil attinet dicere: quandoquidem verendum est ne ij Herodotum, vbi constaret carmine, inter Poëtas numerarent, quemadmodũ numerant Empedoclem; tantum abest, vt qui Historiam metris conderet, germanum ac merum historicum haberi paterentur. Vt propterea satiùs sit temperato dicendi genere vti, ac proinde ne oratorios quidem numeros; qui inquam grandiloquam ac numerosam efficiunt orationem & ad Poësim accedunt; consectari. Iam verò historiæ nomine ea interim intelligi velim omnia quibus rerum gestarum narratio, qualisqualis ea sit, continetur: Itaque nec Ephemerida seu Diaria reiecerim ab Historia: neque menstruis spatijs seu lunaribus annis (his enim olim res digerebant multi) confectas rerum gestarum narrationes Historiæ nomine spoliauerim: nec rursus ijs rebus quæ veluti in transcursu atque itinere; vnde Itineraria confecerunt appellarúntque aliqui; describuntur (si tamen res gestæ sint) hanc laudem ademerim: nam si interea aliud rerum genus notarent, quod plerunque fit; nec res gestas attingerent, non facilè adhuc essent ad historiam reuocanda. Sed & eodem nomine tum Annales tum Commentarios sinè dubitatione vlla Historiæ nomine comprehenderem. Denique ne Origines quidem ac Genealogias excluderem præsertim verò si non meras familiarum ac gentium propagationes, sed connubia, migrationes, Vrbium ædificationes, Regionum occupationes aut consimilia referrent quibus gentium origines ac genealogiæ permixtæ sunt. Idem de clarissimorum hominum Vita, & (vt me semel explicem) de ijs omnibus dixerim, quibúscum res gestæ coniunctæ sunt. Nam quæ res gestas, siue pacis sint, siue belli, siue seditionis, copiosè prosequitur narratio, hanc

IX. Quæ interim contineantur historiæ nomine: & num Diaria & huiusmodi alia sint historiæ formæ.

pleno

pleno iure atque omnibus calculis Historiæ mereri nomen compertum est. Ita quidem Historia isthæc tanquam formas ac partes (quanquam de hac re opportuniore loco uberiùs) complecteretur omnia. Nunc tamen prætereundum non est, historiæ nomine tum genus designari interdum, quod, perinde atque animal formas continet uarias, multigenas historiæ seu rerum gestarum narrationes comprehendit: tum sæpè illud historiæ genus siue illam historiæ formam indicare, quæ causas rerum gestarum, consilia, acta, euentus ipsos prosequitur, locorum quoque descriptiones, si opus sit, & personarum, legum etiam morúmque, adhibet narrationi. Vt enim apud Aristotelem Politiæ nomen modò vniuersas gubernationis formas significat ita ut Regiã quoque contineat, interdum uerò priuatum nomen est, atque illam designet gubernationis formam in qua uniuersi ciuium ordines obtinent principatum; ita quidem historia modò omnes rerum gestarum narrationes ac narrationis formas complectitur, modò eam tantummodo formam ac partem quæ Annalibus, Commentarijs ac reliquis huiusmodi formis opponitur: ac quoniam cæteris istis formis antecellit, historiæ nomen inprimis retinet. Tametsi non est cunctandum fateri promiscuè sæpè & Commentarios & Annales & Historias usurpari. quanquam enim Annales breuissimè continerent res singulis annis publicè gestas, ac fermè caussas, consilia despicerent; euentus unos attingerent; Commentarij Annalibus opponerentur, quòd in ijs quisque memoriæ caussa breuiter ac ferè per capita adnotaret quæ sibi priuatim occurrerent, ueruntamen & Annales à Tacito uberiores, & Commentarios à Cæsare de publicis quoque rebus & pleniores confectos, ac publicæ memoriæ consignatos, uidemus. id quod Diarijs atque huiusmodi narrationibus vsu venire potest quæ tum priuatæ, tum publicæ, tum concisæ tum pleniores uideantur. ex quo fit vt formæ istæ apud multos, si quæ narrantur potiùs quàm monumẽtorum Inscriptiones spectentur, ac nomina, uix quicquam differant: quin etiam, quoniam rerum gestarum narrationes sunt fermè omnes, dissimiles historiæ formas inde elicere & con-

stituere

X. Chronologiā contra immeritò referri inter historiæ formas.

stituere vix, ac ne vix quidem interdum, queas. Atque hinc dignoscere licet quid de Chronologia. neque enim a bonis authoribus Chronologiam videas inter historiæ partes nisi eo referri nomine quòd res gestas complectatur ac digerat: ita vt cum Diarijs & Annalibus fermè reciprocetur. Denique χρονικὰ Græcos libros significari seu Commentarios in quibus res gestæ per tempora describuntur; siue in quibus notatur quo in tempore quídque gestum sit: qui commentarij Annalibus planè respondent. Itaque Plutarchus in Themistocle τοῖς δὲ χρονικοῖς (inquit) δοκεῖ μᾶλλον συμφέρεσθαι ὁ Θουκυδίδης *Chronicis libris acquiescere videtur magis Thucydides*: vbi sinè dubio intelligit res & euentus qui in Chronicis seu Annalibus adnotati essent. sic Lucianus in Macrobio Ἀπολλόδωρος (inquit) ἐν τοῖς χρονικοῖς ἱστορεῖ. Itaque A. Gellius Chronicos libros appellat eos in quibus obseruatum esset quibus temporibus tum Græci tum Romani illi floruissent qui vel ingenio vel imperio nobiles insignésque fuissent. Imò verò Hebræi quoque זכרונות seu Chronica pro annalibus, ídque prout facta continent annis digesta, vsurpabant. etsi enim non facilè crediderim Chronon a Zicronòth fluxisse, cum ibi nec prima radicalis agnoscatur, & verò ad initium cum aspiratione scribatur; contra tamen Hebræis Zicronòth facta valere annis digesta; & huiusmodi facta vt cognosceret, Zicronòth sibi legi iussit Assuerus; eodémque modo דברי הימים quod est *Verba dierum*, seu maius, *facta temporum* (nam דברי facta etiam Hebræis significare & res gestas ימים quoque pro temporibus vsurpari compertum est) quorum frequens est in sacris litteris mentio, Annales & Chronica significabant, quibus res gestæ (atque illæ fortassè quæ ex Græcis Paralipomena appellamus) descriptæ sunt. Atque eodem nomine Chronicon Eustathius concludit Historia dum subiungit ex Chronico constare historiam cum temporis sit mentio quo factum contigit: vbi tempus non per se sed propter res quas digerit & continet subijcitur Historiæ. Quanquam aliud non minus appositè quàm acutè

Dubitatur.

sciscitetur adhuc quispiam. quid enim si aliquis temporum

rationem & Chronologiam ſic proſequatur, vt non humanos euentus digerat ac res geſtas (hinc enim germanos Annales exiſtere deprehendimus) nec temporis naturam aç naturales quaſdam illius periodos aut harum varietatem explanet, (id enim Phyſici partim, partim Aſtrologi, eſſe obſeruauimus) ſed popularem quandã temporum ſeriem digerat? vt ſi quis doceret quantũ temporis ab Mundi primordijs ad hunc vſque fluxerit diẽ: quantũ item ab Adamo humano generis parente ad Noë, a Noë ad Abrahamũ, ab hoc ad Chriſtum humanæ ſalutis Authorem, a Chriſto demum ad nos decurrerit: quo item mũdani æui anno prima incœperit Monarchia, quo deinceps reliquæ, & quibus ſeſe attigerint aut diſſociatæ fuerint temporum interuallis. quo item æui anno primæ Olympiadi initium ſit factum: quantum item ab Vrbe condita ad hunc diem intercefferit temporis. Quid inquam ſi quis hanc vel non diſſimilem temporum rationem proſequatur? Certè Chronologi nomen huic nemo inuideat aut deneget: ſed tamen num hæc Chronologiæ forma pertineat ad hiſtoricum, atque adeò formam quandam conſtituat hiſtoriæ, ambigat non immeritò. Ego verò huiuſmodi Chronologum cum eo libenter contulerim qui itinerum rationem ſiue itinerarium (ſi placet) ita confecerit, vt non quæ in itinere deprehenderit res aut naturales aut humanas & artificioſas deſcripſerit, ita vt ad Phyſici aut Hiſtorici munus deflectat; ſed nudi veluti itineris diſtantias notarit, & quorumdam interualla locorum ad quæ diuertiſſet. At enim quid ad controuerſiam? Chronographo ſanè illi nomen Hiſtorici haud cõceſſerim: idque vel quia reuera nõ res geſtas narret aut humanos euentus; vel quia exempla proferat nulla quibus mortales inſtituat, ac rerum publicè priuatímque gerendarum ideam proponat ac formam; vel demum quia vix fortaſſe vllam cautionis aut prudentiæ materiam offerat: etſi enim nihil eſt vnde ſolertis hominis mens non erudiri vtcunque poſſit, quæ tamen ſigillatim ad humanos caſus quæritur eruditio & ex hiſtoria deriuatur vel maximè iſtinc ægrè capiatur. quapropter ſi quis Chronologiam iſtam ſeu temporum œconomiam ad ea reuocet, quorum eſt veluti proprietas, vt ad Mundum aut Tempus (præſertim ſi condiri mundi temporis

Reſpondetur.

D quæ-

quæratur diuturnitas) aut summatim ad practicum tempus (hoc enim tum per se tum in rebus, vnde practicũ dici possit, spectari potest) id ei per me quidé liceat: vt inde historiæ formam conflet, non liceat, etsi non inficior talem temporũ rationem & Chronologiã historiæ seruire posse, & tanquã instrumentum quoddã percommodum adiungi. Atque idem fermè de itinerario illo dixerim qui & Topographiæ & aliqua ex parte historiæ vsui venire possit interdũ: historiæ certè nomen, nisi res historicas notet ac narrat, non mereamur. Denique vt se mutuæ iuuant doctrinæ, ita vt Medicus vtatur Physicis, Orator Historicis, ita historia vti nuda Chronologia & potest & solet. Quæ cum ita sint, iam quoniã Chronologia nõ ab rebus seiuncta, sed ijs adiuncta pertinet ad Historicũ, ac summatim euentus continet tempore ordinatos, nihil est quod nouã historiæ formã cõmentemur hoc nomine, sed Annales inde ac certis temporibus digestã rerum narrationẽ intelligamus. Idem dixerim dum Topographia, continentérque Chorographia, & Geographia inter historię formas a quibusdã numeratur, nam Topographia tum demũ ad historiã non immeritò reuocetur cum in illa res gesta quaéque memoratu dignæ sint per loca, non secus atque in Chronicis per tempora digerantur: quemadmodum apud Strabonem, Solinum, & alios multos vsu venire cernimus. ex quo fit vt Chorographia etiã & Geographia hoc vno titulo ac nomine historiæ nomẽ mereri posfit. contra verò nuda quaéque solos situs commonstret, vix ac ne vix quidem. Id quod tum ex fine quem historiæ propositũ esse docuimus, constare potest (quæ enim vitæ exempla obijcit mortalibus qui regionũ terrarúmque diuisiones persequitur ?) tum verò quia alioquin Cosmographia quoque, tametsi in cœlestiũ circulorũ & priuatorum corporũ collocatione designanda versetur, historiæ pars esset ac forma. neque enim dum ad terræ sitũ descendit, alio differt a Geographia, nisi quod hæc fluminibus fermè & montibus, illa cœlestibus circulis & gradibus partitur terras. Denique planiùs constat apud eruditos viros eas facultates ad Mathematicas disciplinas pertinere quàm vt meritò id dubitari possit. Quod si res quoque naturales ac Mũdum historiæ veluti campũ atque adeò germanã materiã fecerint

XI. Topographiã quoque & Chorographiã aut etiam Geographiam esse ab historię formis eximendam.

aliqui,

aliqui, ijs quoque occurremus nõ multò post. Quapropter nõ
satis intelligo cur Eustathius Topicũ numeraret inter histo-
riæ formas: dum enim Topicũ è regione collocat ac tanquã
opponat Pragmatico, haud sanè vsurpare illud videtur quà
res gestas digerit, sed quatenus à rebus abiunctũ est: alioquin
Pragmatico perperã opponeretur, quid multa? cum dixisset
Dionysij monumentũ ex Topico, Pragmatico, Chronico, Ge
nealogico conflatũ est, id statim offendebat de Topico ὅτι καὶ
ὁ πᾶς ἐνταῦθα τοῦ βιβλίου σκοπὸς τόπων γῆς ἐστὶ περιήγησις. *quia to-*
tus huiusce libri scopus sit Terræ locorũ descriptio vbi de rebus
gestis ne verbũ quidem: cum tamẽ in Chronico & Pragma-
tico illarũ habeatur ratio. Neque verò Eustathio aut eius opi
nioni fauet M. Tullius, dũ reuocare videtur ad Historiã mo-
numenta temporũ, hominum, locorũ, gestarúmque rerũ. ne-
que enim (si quis æstimet accuratiùs) eò spectauit vt per tẽpo
ra nudũ Chronologicum, per loca nudã Topographiã, desi-
gnaret. cum enim dicat eos sinè ornamentis scripsisse monu-
menta temporũ & locorum, satis intelligitur non nudã loco-
rum ac temporũ descriptionẽ, sed rerũ quæ partim per tem-
pora, partim per loca, digesta essent, narrationẽ indicasse. De-
nique, vt me semel explicẽ, spectabat Cicero in primorũ Ro-
manorũ maximè verò Catonis (id quod mox indicat) Picto-
ris, Pisonis, Annales siue Historias. ex ijs enim Q. Fabius Pi-
ctor Annales sui tẽporis scripserat quos per tẽporum monu-
menta designat M. Cato Origines prodiderat rerum Itali-
carum, quibus Italiæ & gentium & locorum notat origines:
atque has per hominum locorúmque monumenta indicat
C. Piso Censorius de rebus Romanis ediderat Commenta-
rios, quos aptè per monumenta rerum gestarum intelli-
gas. Ac propterea subdit statim. *Itaque qualis apud Græcos*
Pherecides, Hellanicus, Acusilas fuit, alijque permulti,
talis noster Cato & Pictor, & Piso, qui neque tenent qui-
bus rebus ornetur oratio (modò enim huc ista sunt importata)
& dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem putant
esse breuitatem. quibus verbis indicat istos monumenta illa
nullis ornamentis adhibitis Annalibus historiæve mandas-
se. Id quod ex fragmentis (extant enim multa) cognoscere

licet, quæ ornamentis carent omnibus. Quod si M. Tullius rem illis effert verbis, *Vt noster Cato, vt Pictor, vt Piso*, & rursus *Talis noster Cato, & Pictor, & Piso*, quibus tacitè alios quoque huius ordinis Historicos agnoscere videtur, ecce tibi in libro 1. de legibus, *Post Annales* (inquit) *Pontificum Max, quibus nil potest esse * iucundiùs si aut ad Fabium aut eum (qui tibi semper in ore est) Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quanquã ex his alius alio plus habuit virium, tamen quid tam exile quàm isti omnes?* Quapropter M. Tullius quadripartita illa monnmentorum distributione res gestas ac proinde Annales & Historias intelligit perpetuò: quia scilicet siue per loca, siue per tempora, siue per homines, siue per rerum ipsarum seriem Annales texerent vel Historiam, nescirent quibus rebus ornaretur oratio. Quare tantum abest vt M. Tullius Topicum aut Chronicum quæ sint a rebus abiuncta, reuocet ad historiam, vt nihil nisi res gestas (& si has quadripartita illa narrandi ratione variari posse indicat) subijciat historiæ. Difficilius fortasse, sed tamen elegantiùs videri potest quod de tabulis ac lapidibus obijciebatur, déque huiusmodi alijs quibus res gestæ miro artificio expressæ nobis ponuntur ante oculos. Nam (vt de tabulis seu pictura primùm dicam) fieri nullo modo posse contendas vt Pictnra mutæ aut etiam tacentis Poësis nomen inuenerit, quin tacentis quoque historiæ obtineat nomen. cum enim pictura quæ gigantum bellum verbi gratia aut Ganymedis raptum obijciat oculis, tacentis Poësis nomen adepta sit, quid ni tacentis historiæ nomen obtineat ac laudem dum Augusti exprimat Naues Antonij classem profligantes, aut Constantinum de Maxentio triumphantem? quæ laus eò tutiùs concedenda illi esset, quòd res gestas, locũ, atque adeò personas ipsas oculis obijcit pictura, quod historicæ narrationi haud licet. Atque hinc est vt pictura rursus oculorũ & Poësis & historia dici possit; contra verò historica narratio aurium quidẽ pictura, oculorũ nullo modo possit appellari. Ad quam rem confirmandã Virgilij iudicinm ac veluti testificationem adhibere liceret dum de Ænea Regiũ Didonis templum ingresso huiúsque picturas spectante sic caneret.

—— *Videt*

* Pro iucundius nudius legunt aliqui: alij aliter.

XII. Tabulas, icones, lapides, & huiusmodi alia non mereri historiæ nomen.

——Videt Iliacas ex ordine pugnas:
Bellaque iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, & sæuum ambobus Achillem.

Itaque continuò & Troiana facta tanquam ex germana agnouit Historia: & lacrymas, quasi rursus facta ipsa obuersarentur oculis, effudit multas.

Constitit & lacrymans, Quis iam locus inquit, Achate,
Quæ regia in terris nostri non plena laboris?
En Priamus——

& rursus

Multa gemens largoque humectat flumine vultum:
Namque videbat vti bellantis Pergama circum
Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus:
Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis
Agnoscit lacrymans: primo quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus:
Ardentesque auertit equos in castra priùs quàm
Pabula gustaßent Troiæ, Xanthumque bibißent.

vbi ne ordo rerum desideraretur qui ad Historiam mirificè pertinet, è contrario subiecit.

Parte alia fugiens amissis Troilus armis
Infelix puer atque impar congressus Achilli
Fertur equis: curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen. huic ceruixque comaeque trahuntur
Per terram & versa puluis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant,
Crinibus Iliades passis peplumque ferebant,
Suppliciter tristes & tunsæ pectora palmis.
Diua solo fixos oculos auersa tenebat.
Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Vt spolia & currus vtque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis,
Eoasque acies, & nigri Alemnonis arma.

Ducit Amazonidum Lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, medijsque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

sic Virgilius vt Troiani belli historiam pictura nobis ante oculos poneret. Quæ laus iconibus etiam ac lapidibus & huiusmodi alijs multis concedenda foret quibus rerum gestarum monumenta designantur. Hæc inquam obijciat aliquis. Ego verò contra sic statuo. reuera, pictura, si quis attentiùs æstimet, Poësis siue historiæ imago quædam vel potiùs vmbra dicenda est: vel si mauis, ænigma rerum recordationi accommodatum; germana historia nullo modo. Fac enim aliquis in tabulas incidat quæ res ab Alexandro gestas contineant: huic profectò, si de Alexandri factis iam antea alicuius sermone aut litterarum monumentis edoctus fuerat, facilè picturæ ope subibit in mentem Alexandri recordatio atque illius factorum memoria: sin minùs edoctus fuerit, nil planè percipiet. & tamen si Alexandri, quam Curtius scripsit verbi gratia, vel Arrianus, historiam peruolutarit, quantumuis eius esset inscius antea, percipiet omnia. Itaque historica narratio per se satis edocet legentem: pictura sinè antegressa historiæ cognitione, docet nihil: quin cognitione antegressa non tam docet, quàm confert ad recordationem: Quam rem ex eodem Poëta confirmare licet non vulgariter. Etenim videas Æneam Iliaca facta, quoniam illis interfuerat atque adeò illorum pars magna fuerat, ex tabulis, vt ad recordationem plurimùm valent, continuò agnouisse: Contra verò Ascanij ac posterorum facta, etsi egregiè clypeo expressa, quoniam nullis adhuc litterarum monumentis exarata fuerant, nullo sermone declarata, ignorasse: idque Poëta ipso teste dum canit,

Talia per clypeum Vulcani dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet.

non igitur picturæ (atque idem de sculpturis & huiusmodi alijs dixerim) Historiæ merentur nomen; cum historiæ sit nos edocere & exempla rerum gestarum proferre quibus cautiores efficiamur. quod ex ijs quę siue tabulis siue ære siue

lapidibus

lapidibus exprimuntur, cõsequi haud licet. Itaque eleganter potiùs quàm verè, & Poëtica hyperbole veriùs quàm propriè, Pictura dicitur muta Poësis aut tacens historia. Nam qui antea de fabula edoctus fuerit, inde in recordationem veniet quidem: fabulam certè non discet. eodem modo qui rem gestam nouerit antea, ex pictura recordabitur, rem gestam percipiet nunquam. Non igitur muta vel Poësis vel Historia dicetur pictura quia in veræ historiæ aut fabulæ sit habenda loco, sed quia ad historiæ seu fabulæ quam vtcunque imitatur, conducit recordationem. Nam qui venditant picturam res gestas sic ante oculos ponere, vt hac in re historicæ narrationi mirificè antecellat, ijs videndum est ne id temerè statuant; præsertim verò dum hinc efficere nituntur picturam iustiùs quàm narrationem mereri historiæ nomen. Etenim pictura externam imaginem quandam oculis obijcit tantùm, rem gestam non planè declarat. neque enim personarum aut nomẽ aut dignitatem aut rerum gestarum consilia, causas, & momenta refert: non dicta, non timorem, non spem atque interiores affectus exprimit: vel si quo modo, hoc est adumbratè ac leuiter, exprimit, ijsdem mutandis ac variandis par non est, cum tamen Historicus sermo consiliorum affectuúmque mutationes, quantumuis momento ferè temporis euenerint, fideliter ac perspicuè referre soleat. denique, ne consecter omnia, non ea est pictura quæ rem gestam incheët, prouehat, ac summatim ab initio ad finem vsque perducat, sed rudem euentum seu euentus ænigma quoddam offert; cum tamen narratio prætermittat nihil. itaque dum aliquid ante oculos ponit, imitationis laudem mereri quidem potest: historiæ, cuius est nos quicquid ad rem gestam pertinet, distinctè ab initio ad finem vsque docere, atque abdita inprimis in apertum proferre, haud potest; sed hæc laus narrationi reseruatur. quin etiam, etsi historica narratio Idola quædam & simulacra non obijcit oculis, obijcit sæpè animo, atque hæc eò nobiliora quàm Poësis, quòd hæc tacentes, illa loquentes, offert, imagines & simulacra. quare licuit quidem Poëtæ, illud de Pictura canere.

———*Atque animum pictura pascit inani:*

de Historia certè non liceat: de qua iustius ipsamet canat

Illa ego quæ gestis præsum custodia rebus,
Digero quod caueas quòdque sequaris iter.

Atque idem dixerim de lapidibus huiusmodíque alijs: his enim, quemadmodum picturę, res gestæ vnius recordationis causa exprimuntur. Itaque cum Vulcani clypeũ in quo Romanorum expressa erant facta, describeret Virgilius, canere quidem potuit de lupa

—— Illam tereti ceruice reflexam
Mulcere altenos & corpora fingere lingua:

canere item potuit de Porsena

Illum indignanti similem similemque minanti
Aspiceres: ——

sed tamen fieri nullo modo potuit vt reuera vel in clypeo vna eadémque appareret lupa quæ pueros vicissim mulceret: vel idem Porsena se cum indignanti tum minanti similem vno eodémque tempore ostenderet. Hæc tamen historicus efficere potest orationis præsidio & narrationis. Quamobrẽ illud etiam satis constat, res gestas ære & lapidibus nisi leuiter ac tanquam ænigmate nequaquam exprimi posse ita vt germanæ historiæ nomen perperam ijs tribuatur quæ careant narratione. Nec sanè refert quòd legimus priscos Ægyptios Nili eluuiones, eluuionúmque fines lapidibus quotannis notare consueuisse, Osiris quoque facta columnis expresisse; quin etiam Noë post generalem Mundi cladem anteactas res notasse lapidum monumentis, Adamum ipsum, vel certe eius filios multa ex antiquitate vniuersa consimili ratione posteris tradidisse; siquidem hæc tum demũ admonere poterunt mortales, cum antegressa esset eorum commemoratio rerum quæ monimentis illis ritè intelligendis essent necessaria. ita sanè veriùs ad recordationem valebant quàm ad cognitionem. Et quidem prisci mortales rudi illo seculo, atque ab artibus imparato, res gestas prout commodiùs poterant, cõmendabant posteritati; lapidibus scilicet, quæ quid sibi vellent non declarabant: at eruditiore seculo litteræ inuentæ sunt quibus res planissimè declarantur. ex quo fit vt hinc planè historiæ perfectio æstimanda sit, non ex inchoatis illis ac rudibus rerum

gesta-

gestarum vmbris aut ænigmatis. Ita demũ picturæ,iconibus
atque huiusmodi symbolis historiæ laudem quorundã pace
denegemus oportet ac nomen; cum reuera hæc non ad cogni
tionem sed ad vnam recordationẽ valeant,nec sinè antegres-
sa rerum gestarum narratione valeant: contra verò rerum ge
starum narratio,quoniam & cognitioni seruit & recordatio-
ni,ac per se nullóque illorũ adminiculo seruit, historiæ no-
men ac laudem sibi suo iure vindicabit. Nam si quis pugnet
columnas & lapides quibus prisci illi Hebræorũ Ægyptio-
rúmque mortales res gestas posterorum memoriæ consigna-
rent certis notis atque adeò litteris fuisse exaratas, ac propte-
rea historiæ nomen temerè illis denegari, equidem, ne hoc
tempore disputem num verè litteris (id quod tradunt aliqui)
continerentur isthæc, illud mones; reuera nihil prohibere
quominus eiusmodi lapides,si fortè litteris instructæ essent,
ad historiam pertineant. sed tamen eò demum pertinerent
nomine quòd res gestas litteris declararent narrarentque.
Ita sanè dummodo ipse mihi concesseris tabulas,lapides,ico
nes & huiusmodi alia quæ litteris careant & narratione ad
germanam historiam non pertinere (de his enim quæsitum *Dubitatur.*
fuerat ab initio)ego tecum non altercabor longiùs. At enim
quid si quis ea coloribus exprimat vel alijs huiusmodi consi-
gnet monumentis quæ non dico auditione aut historiarum le
ctione perceperit sed spectatione? sanè hoc tempore tabulæ
& huiusmodi alia nulla rerum gestarum fulcientur aut ni-
tentur narratione. & tamen ei qui huiusmodi confecerit mo-
numentum, in historiæ erunt loco. Quid rursus si quis fortè
quæ ex rerum gestarum spectatione gignitur, cognitionem
& memoriam,appellet historiam: historicum qui ea cogni-
tione & memoria præditus & imbutus sit? profectò hoc tem
pore historia non esset rerum gestarum narratio sed cognitio
atque memoria. Acutè: sed quàm verè mox constabit. Ergo *Respondetur.*
siue in rerum gestarum narratione siue in vera earundem spe
ctatione nitatur pictura, adhuc ænigma est: propterea, quo-
niam, nisi spectatione antegressa aut narratione, percipi ne-
quit, recordationi tantùm seruit non cognitioni. Ita quidem
germanæ historiæ nequaquam adhuc meretur nomen: sed

ænigma

ænigma (vt dicebam) aut ſymbnlum vel imago quædam aut vmbra tutiùs dicetur Hiſtoriæ: præſertim verò quia conſilia, cauſæ, dicta & huiuſmodi alia multa quæ planè ad rem geſtam pertinent, narratione (vt docui) aperiri quidem poſſunt, pictura nullo modo poſſunt. Neque verò eſt quod quiſpiam cognitionem rerum geſtarum ex ſpectatione ortam aut memoriam, germano hiſtoriæ ornet nomine: nam quemadmodum Medicus aut Gubernator inde ſibi hoc meretur nomen quòd ille humano corpori medicinam, hic naui curam, adhibeat: Muſicus etiam non quòd canendi artem calleat, ſed quia muſicè canat, (hoc enim conſilio paratur & huc inprimis ſpectat Muſica) muſicus propriè appellatur; ita non is qui res geſtas cognouerit aut memoria teneat, ſed qui eas vel dicendo vel ſcribendo narret, erit Hiſtoricus. neque enim tam ex habitu & cognitione (quanquam hæc etiam requiritur) quàm ex ipſa exercitatione artifices appellantur. id quod eò magis de hiſtoria ſtatuendum eſt, quòd hæc maximè poſteritatis gratia inuenta ſit: cui tamen hiſtorici cognitio ſinè narratione nihil conducat. & ſanè cognitio illa & memoria rerum geſtarũ inchoata quædam & rudis cenſeri poteſt hiſtoria, vel certè hiſtoriæ leges atque materia, at perfecta & omnibus abſoluta numeris tùc ſolùm habenda eſt cum narratur ac mortalibus inſtituendis (quod vna cognitio mentis haud habet) eſt accommodata. Denique quemadmodũ domus aut poëma poſt Poëtæ quoque aut architecti mortem conſiſtere, tùm poteſt tum verò ſolet ac debet, cum poſteritati maximè condatur, ita hiſtoriam eam appellabimus quæ hiſtorico etiam abſumpto ſuperſtes ſit & poſteris tranſmitti poſſit: id quod hiſtoricæ narrationi conuenire quidem poteſt, artificis cognitioni certè non poteſt. Atque hinc intelligere illud licet quod iamdiu attingere cœperam dùm quoſdam veluti gradus rerum conſtuerem vndè eſſet hauriendum hiſtorico. etenim mouebam non modò ex Annalibus verùm etiam ex alijs publicis monumentis hauriendum: quæ tamen eſſent hæc monumenta opportuniori loco reſeruabam. Nunc igitur vt fidem liberem meam, ſic decerno; eſſe hæc picturas, ſtatuas, lapides,

Tabulas, icones, & huiuſmodi alia etſi non mereâtur Hiſtoriæ nomen inter ea monumenta publica eſſe numerãda ex

dcs,

des, qui etiam mira varietate continentur; æreos & id genus nummos, vniuersámque iconum quæ item in magna varietate positæ sunt, multitudinem. Denique ea omnia quæ res anteactas exprimunt & imitantur: quacunque tandem illas exprimant materia, quibus vtcunque per me illa iungas licet, quæ etsi imaginem haud offerunt & effigiem, sunt tamen vetustatis atque adeò rerum quæ ad historiam pertinent, monumenta, cuiusmodi sunt arma, vestes, pontes, ædificia, ruinæ ipsæ. hæc, inquam, omnia ad monumenta illa reuoco, quæ solerti historico ac nauo rerum gestarum veritati indagandæ adiumenta suppeditent. Inter quæ lapides & icones, quoniam de ijs mentionem inprimis fecimus; vel litteris nuda & tanquam muta sese in conspectum dant, vel aliquibus litterarum notis & explanationibus instructa. ac prima quidem quemadmodum docui, haud merentur historiæ nomen, sed mera rerum gestarum symbola sunt habenda, cum intelligi nullo modo queant nisi antegressa rerum gestarum narratione aut spectatione ac summatim cognitione aliqua; ac propterea non ad cognitionem sed ad recordationem, eámque fermè pertenuem, valeant tantùm. Reliqua Historiæ imaginem præseferunt illa quidem, sed inchoatam ac rudem, quæque (quod plurimum quidem refert) non tam per se quàm propter notas ac litterarum monumenta quibus instructa sunt, ad historiam accedant. ita vt quocunque te vertas veræ ac germanæ historiæ laus litterarum monumentis ac narrationi sit reseruanda. At enim sint ista, & narratione omnino indigeat historia; verùm cur rerum gestarum potiùs quàm dictorum & sententiarum, aut etiam rerum naturalium erit narratio? Rectè, & idcirco duo postrema Theoremata quibus hæc planè dubitabantur, explananda sunt. Quod igitur pertinet ad dicta, fateor hæc quoque historiæ mandari & posse & solere, idque meritò. Cum enim in dictis quoque cautior fieri possit mortalis, & verò ad hoc cautionis & prudentiæ genus exemplis egeat, quid ni dictorum quoque illi condatur historia? certè Philosophorum vertex Plato cum suam Rempublicam instituisset, exemplis doceri cupiebat ac demonstrari qua ratione

quibus haurit historicus: & quæ sint publica hęc monumenta.

XIII.
Dicta & opiniones arcenda non esse ab Historia.

tum

tum agendo tum dicendo sese gererent quos instituisset Ciues. sed tamen dicta, vel quia in historijs, si comparentur cum rebus gestis, sunt perpauca; vel quia, vt adhibentur factis & cum factis permixta sunt; non incommodè factorum seu rerum gestarum nomine clauduntur & intelliguntur; vel demum quia si cum animi sensu & cũceptione conferantur, facti nomen quoquo modo merentur (quæ enim oratione panditur ac voce conceptio animi, quoddam factum est) possent in historiæ definitione reticeri, quòd tacitè rerum gestarum nomine contineantur. præsertim verò quia vt prætervolat oratio, difficilius sit dictorum quàm factorum historiam texere: & facta quàm dicta rescire, obseruare ac bona fide posteritati consignare. Quanquam si quis tum propter dicta tum propter animi sensa & opiniones ex quibus item videtur aliquando confici posse historia, tantisper definitionem propositam variari cupiat aut nouari, haud grauabor huc cogitationem referre. cum enim libri referti sint Apophthegmatis, prouerbijs, salibus, ac facetè dictis & huiusmodi alijs quæ ad historiam pertinere videntur, non iniuria fortasse in historiæ definitione diligens habeatur dictorum ratio. Idem dixerim de dogmatis ac placitis quæ historico more narrentur. Quanquam vel quia fortasse non sinè offensione aliqua & inuidia nouetur historiæ definitio, vel quia si nouanda sit ac varianda, tum demum id opportunè fiat cum dubitatio cognita fuerit quæ item ex rebus naturalibus ac proximo Theoremate oritur, satiùs sit rem differre, atque interim ad insequens Theorema descendere. Et quidem historiam de rebus naturalibus conscriptam esse (qualis qualis ea sit: num enim germana sit historia adhuc esset requirendum) atque hanc longè variam, proindéque patêre quam latissimè, ex ijs quæ recensebantur compertum est. tametsi inde confirmari potest altiùs quòd humani quoque corporis ac singularum illius partium ad minutas vsque extet historia. quæ enim sectionibus & Anatomica industria obijciuntur partes humani corporis, historiæ materiam suppeditarunt multis: itaque Galenus non semel ad anatomicam historiam prouocat. quæ sanè eò prouecta est vt non modò

XIV. Disputandum num rebus naturalibus conuenire possit Historiæ nomen. Priùs tamen cõfirmatur altiùs de rebus naturalibus extare historias.

Simiæ, Sui, Canis & huiusmodi animantium quæ membrorum ac partium structurã humanam exprimũt non vulgariter, verùm etiam aliorum animantium multorum extet quæ dissimiles sunt homini, nec tã fortasse Medicinæ quàm curiositati aut certè Physiologiæ seruiunt. certè ad formicam vsque peruagatam anatomẽ offendimus hoc tempore. Dum igitur tam latè manat historia, videndum est num quemadmodum nomine, ita re germanam historiam cõfecerint isti. Atque idem (ne quidquam prætermittamus) de ijs quoque historijs dicendum est quæ inter res gestas & naturales intermediæ sunt, aut etiam ab vtrisque recedere videantur. Etenim sunt qui Grammaticorum scripserunt historiam vt Tranquillus, aliqui Rhetorum vt Plutarchus & Dio. Sophistarum quidam vt Callistratus: aliqui Philosophorum vt Eunapius & Laërtius: quidam Poëtarum vt Crinitus: quidam etiam Pictorum vt Iohannes Albertus, nonnulli virorum illustrium vt Plinius, quidã de Claris quoque egerunt mulieribus, vt Plutarchus, de alijs alij; & tamen huiusmodi historia nec rerum gestarum nec penitus naturalium censeri potest, sed ferè mixta. & huc pertinet quod de Vrbibus atque huiusmodi rebus quibusdam texitur, quas inter res gestas numerare quodammodo liceat, cum tamẽ ad historiam renocentur quà Terrarum orbis partes sunt, perinde atque Insulæ, regiones, montes, & id genus alia quæ ad res pertinent naturales. Denique mixtæ quoque suam dubitationem habere possunt in quibus res & naturales & artificiosæ ac summatim variæ multigenaéque produntur. Nam Æliani, Athenæi, aliorúmque multorum historias huiusmodi esse constat satis. De his itaque omnibus oritur dubitatio. An igitur hæc tum demum historiæ nomen ac laudem mereri dicendum est cum oculis cerni aut saltem sensu percipi queant? hinc enim historiæ nomen ac notio videtur orta. An potiùs dummodo historico more ac modo narrentur, quamuis sub sensum minimè cadant, ad historiam pertinebunt? nam ex narratione quoque æstimari solet historia. An denique satis erit si res singulares sint & indiuiduæ ac rerum singularum commemorentur nomine? profectò hac ratione

Quæritur iam nũ hæ atque his affines historiæ germanum historiæ merantur nomen.

Quæ videantur efficere istis historiæ deberi nomẽ.

liceret

liceret propositas historias omnes retinere, proindéque non tam narratio rerum gestarum quàm rerum singularum dicenda esset historia. & tamen dum communis hominum existimatio inprimísque grauissimorum Authorum consensio reclamat, quæ rerum gestarum facit historiam, vidédum est ne temerè nouetur definitio. præsertim verò quia finis id prohibeat quem iandiu historiæ proposuimus: vt nimirum rerum humanarum seu gestarum exemplis ad prudentiam instituat mortales quò cautiores ac prudentiores effecti, ad benè beatéque viuendum priuatim publicèque contendant. nam rerum naturalium historia ægrè quidem aut rarò ad vitæ cautionem ac prudentiam pertinet. Denique res naturales singulæ naturali Philosophiæ aut etiam Medicinæ seruiunt. & hoc nomine videntur sapientes scripsisse rerum naturaliũ historiam. Certè Aristoteles animalium historiam naturalis scientiæ gratia elaborauit. ex quo fieret vt res naturales non facilè essent ad historiam reuocandæ. Quid igitur in re tam ancipiti statuemus? Altiùs paulò repetere rem cogor, vt eam explicem & accuratiùs definiam. Ergo historiam rude initium habuisse, quemadmodum vsu venire solet rebus omnibus & naturalibus & artificiosis, non est quod dubitemus. itaque ab initio fuit quidem monumentum quoddam rerum gestarum, sed mutum tamen, cum columnis atque lapidibus contineretur, vel (si hos fortè litterarum notis instructos pugnes) rudi admodum opere & ænigmatis instar, quod in arcanis Ægyptiorum monumẽtis obseruatum est, elaboratum. aut etiam rudis quædam erat narratio quæ veluti per manus à priscis ad posteros dimanaret, quaéque longè caduca esset & fluxa, quòd solido monimento fulceretur nullo. & quamuis fluxa vox ad monumenta illa prouocare posset, hæc contra ex voce illa aut fama aliquid momẽti aut efficacitatis acciperent, rudis tamen & inchoata erat adhuc historia, quæque cum posterorũ historia conferri haud posset, apud quos narratione eáque perspicua continentur, ac litterarum monumentis consignatur. Verùm illud, quoque verissimè dici potest, sic historiam inchoatam, propagatam, perfectam esse, vt ad prudentiam seu ad vitam & mores institueretur dirigerétúrque

Quæ repugnent atque Historiæ illis adimant nomen.

Explanatur res & germanam historiã vuis in rebus gestis sitã fuisse priùs osten ditur.

túrque

túrque tota. Etenim (quemadmodum Diodorus atque alij disputant vt nos de historiæ vsu admoneant) Nihil vtiliùs iucundiúsque excogitari potest, quàm in humanæ vitæ Theatro quod historia partibus omnibus mirè instructum habet, sedentem, periculis aliorum, sinè suo periculo cautũ sapientémque fieri: exempla capere omnigena quæ ad vsum tuum vtiliter in qualibet re traducas. & quod per angustiam vitæ hominum fieri nequeat alioquin, secula tota memoria coniungere: maximorum imperiorum auspicia, progressus & finem videre: malorum seu priuatorum seu publicorum causas liquidè cognoscere: in omni ardua magnáque re, qui ante te periclitetur, qui in discrimine te præcedat, habere: nec vsquam experimento certo destitui. & in summa è retroactis (quod proprium sapienti viri officium est) futura scienter in omnes euentus perspicere, præsentia iudicare. Nec sanè aliũ vsum agnouit aut M. Tullius aut ex cæteris vllus qui Historiæ vtilitatem ac laudem accuratè attigere. quapropter qui deinde illam ad res naturales traduxerunt, haud habent cur inficientur historiam iandiu obtinuisse vt in humanis rebus seu rebus gestis niteretur tota. itaque haud esset cunctandum fateri & affirmare rerum naturalium historiam nomine tantùm ac fermè propter rerum singularũ narrationem in qua cum recepta historia cõuenit, hoc dignandam nomine. nam alioquin cum in alijs multis tum maximè vsu & fine vnde res æstimantur, longè differt à recepta historia: ita vt hac de causa, mea quidem sententia, non necesse sit receptam definitionem nouare. nisi tamen vnum (quod ipse magnopere probarim) hac ex rebus naturalibus deriues ac referas. vt scilicet eluuionum, exustionum, pestilentiarum, atque huiusmodi calamitatum, quibus procedẽte seculo mortales interdum vexantur, ad historiam iurè pertineant. non quidem quà res sunt naturales, sed quà vrbes ac regna depopulari atque humanum genus inuadere solent: ac proinde gentium commodis dum obsunt, earum cognitio mortalium cautioni ac prudentiæ perinde ac rerum gestarum memoria mirificè conferat. nimirum vt cladibus hisce calamitatibúsque declinandis perfugia & adiumenta requiramus, & huc etiam si placet

cet, Cometarum memoria conferri potest, quam ex omni antiquitate repetitam priuatæ historiæ consignatam habemus. nam cometes plerunque cladem vel afferre vel prænuntiare ijs rebus solet quæ immoderato cœli ardore labefactentur. Itaque Plato tum in libro de Natura tum in Atlantico qui totus historicus est, elluuionum exustionúmque ac nimij ardoris clades ad Historiam redegit: atque hac de causa Ægyptium sacerdotem ignium aquarúmque vastitates & calamitates ex antiquatum monumentis atque adeò ex historia fecit repetentẽ. ita vt Solonem & Græcos pueros appellarit quòd vetustarum eluuionum exustionúmque clades ex suis monumentis repetere haud possent. ac rectè. nam historia rerum peruetustarum, si adsit, ex pueris senex; si absit, ex senibus pueros, efficere valet. Denique eò iustiùs talium calamitatum memoriam ad historiam redigas, quòd prisci quoque mortales inter Hebræos, Iosepho Authore, eas consignarent monumentis quibus posteritatem cautiorem efficerent. Ita sanè non ægrè ferendum hæc quoque, etsi alioquin ad res naturales pertineant, ad Historiam reuocari; quamuis non tam rerum naturalium nomine quàm quòd mortalium cautioni earum seruiat cognitio, historiæ consignentur. Quod si interim rerum gestarum nomine haud propriè ad historiæ definitionem reuocentur, reuocentur, si placet, tãquam rerum gestarum affectiones aut casus rerum humanarum, quòd Vrbibus aut sexcentis huiusmodi monumentis quæ rerum gestarum nomine non immeritò concluduntur, mortaliúmque commodis cladem afferant ac perniciem. Quanquam si quis vno eodémque genere omnes historiarum formas cohibere gestiat (quale quale tandem sit hoc genus: nam in humanis rebus non semper vnius eiusdémque planè rationis est expetendũ) ídque eò magis quòd humana quoque dicta ac facta videantur ad historiam commodè reuocari, sic, opinor, philosophemur oportet. Artes & facultates ad beatam vitam referri omnes. sed philosophiam vel maximè quòd beatam vitam pariat siue in actione siue in contemplatione verseris: quanquam id sic præstat vt in generibus rerum persistat, non verò ad res descendat singu-

Quæ tamẽ ratione res quoque naturales vnà cũ dictis ac sensis animi non incõmodè possint ad historiam reuocare.

ſingulas. Itaque hinc docet hominem verbi gratia eſſe rationis participem animantem, ad hunc hominem, vt Socratem, non deſcendit. illinc oſtendit liberalitatem in mediocritate hoc eſt inter auaritiam effuſionemque ſitam eſſe: huius, vt Alexandri, liberalitatem non ſpectat. Ex quo fit vt dum res ſingulas, quæ ſiue actioni, vt Scipionis fœdus cum Maſſiniſſa, ſiue contemplationi, vt hodiernus Cometes, ſubiectæ ſunt, prætermittit, Ars ſeu facultas aliqua requiri videatur quæ hunc rerum ſingularum campum excurrat & colat. Cum igitur is qui hunc excolit campum, quod attinet ad res ſingulas quæ actione continentur, ſit hiſtoricus, quid ni idem hiſtoricus eundem excolat campum in ijs quæ contemplationi ſubijciuntur? certè cum Philoſophus vtranque partem attingat in generibus & formis, nil prohibeat, imò verò æquum videri poſſit, vt hiſtoricus res ſingulares proſequatur vtraſque. Ex quo fieret vt hiſtoria in vniuerſum cenſenda ac definienda eſſet RERVM SINGVLARVM NARRATIO QVÆ HOMINEM ad vtrunque vitæ genus inſtituat. atque hoc pacto tum res ſingulas mixtas, tum dicta & ſenſa, comprehenderet. Quod ſi deinde ex Philoſophis hic rebus diuinis, ille Mathematicis, is naturalibus occupatur; in actione quoque cernimus hunc Reipublicæ moderandę, illum familiæ regendæ, alterum vitæ priuatum componendæ & inſtituendæ operam dare; iam id etiam proportione ad Hiſtoricum transferri patimur: ita vt alter rebus gerendis, alter rebus contemplandis, ſeruiat: ac rurſus in contemplationis campo aliqui cœleſtis Mundi, aliqui Terreſtris, aliqui plantarum ſigillatim, alij animantium, alij aliorum mixtorum corporum conficiant hiſtoriam: hic in actionis campo bella, ille genealogias, hic Vrbium origines, hic leges, ille mores, hic res mixtas, ſi placet, proſequatur. Ita quidem licet tibi nobilem quandam aciem Hiſtoricorum (quacũque tandem ratione inter ſe differant) ſtruere, in qua ſanè, quoniam de ea ſatis ex dictis conſtare poteſt, non neceſſe eſt immorari. Quanquam illud nullo modo eſt prætermittendum, eos qui rerum naturalium hiſtoriam ſcripſiſſe paulò ante dicebantur, non facilè omnes inter Hiſtoricos eſſe numerandos

nisi verè ad res descendant singulares. Etsi enim Theophrastus verbi gratia & Aristoteles historiæ nomine inscripserũt quæ de plantarum aut animalium varietate prodidere, non tamen ad singulas vel plantas vel animantes descenderunt, sed ille de platano verbi gratia vel quercu; hic de Equo aut Leone verba facit: cum tamen germana historia requireret vt ille de quercu Dodonæa verbi causa, aut Ilissi platano, hic de Bucephalo aut Nemeo Leone ageret. nam qui de quercu agit aut Equo, de specie agit, non de re singula. Eodémque modo dum Rueus de amethysto aut de chrysolitho scribit, de specie scribit: Sic Albertus de mineralibus, Oppianus de piscibus, Gesnerus (etsi hic nõ temere legendus) etiã de auibus differens. Quin Historia plerunque apud Plinium, Solinum, atque alios multos ad res naturales non singulas sed certi alicuius generis pertinet. Atque huius planè ordinis censenda sunt quæ anatome indicantur. licet enim certum animal dissecetur (actiones enim sunt singulares) cordis tamen vniuersim aut oculi hominis siue animantis inde exsistit historia. Quæ cum ita sint, plurima offendas historiæ inscripta nomine, quæ nullo modo pertinent ad germanam historiam. Contra verò quæ in rebus versantur singulis, vt in Thesei aut Romuli vita, Pharsalica pugna Athenatum ædificatione, Columbi nauigatione, Lycurgi legibus, Gallorum moribus, germanam conflant historiam. Vt propterea quæ historiæ scribuntur nomine, & tamen absunt à singularum tractatione rerum, non pertineant ad historiam. Etsi partim quia non differendo sed narrando commemorantur, partim quia spectatione obseruata sint, partim denique quia res potiùs quàm causas persequuntur, vel etiam quia Historiæ nomen pro sermone interdum seu narratione aut disputatione licenter vsurpatur (sic Aristoteles animæ doctrinam animæ appellauit Historiam: sic Hippocrates & Galenus disputationem de homine qua viuere possit incolumis, historiam itẽ appellant) placuit ea historiæ nomine appellare. Atque hæc de vtroque hoc Theoremate: quorum clausula hæc sit. Satiùs esse receptam ac tritam historiæ definitionem retinere quæ sit rerum gestarum narratio, quàm eam vel dictorum

opi-

opinionúmue aut rerum naturalium gratia nouare. Quod si nouanda sit, cum fœnore certè est nouanda, ita vt dicatur RERVM singularum narratio hominem ad vtrunque vitæ genus instituens. ex quo fiet vt sit Philosophiæ ἀντίστροφος, atque illi ex altera parte respondeat. siquidem cum Philosophia eundem planè & finem & vsum, eandémque amplitudinem & varietatem habebit: solúmque differrent quòd vna res per genera & formas spectet, despiciens singulas: altera contra in singulis occupetur, species & genera Philosopho relinquens integra. Atque hæc sunt quæ quoniam de historia dubitari poterant, distinctè ac certis Theorematis disceptare placuit. Nam quod postremò in controuersiam reuocaui, atque vtrinque dubitaui, NVM historia inter artes sit referenda, id verò multò commodiùs in proximo libro explicabitur, vbi in medium allatæ fuerint Historiæ leges. Hinc enim vel maximè constabit quanti hominis & qualis sit historiam scribere: & quibus præceptis conformanda ne temerè sed certa ratione ac via conficiatur. At enim, dum tot tantísque dubitationibus labefactasti primùm tum vindicasti promulgatam historiæ definitionem, illud, nescio quo pacto, prætermisisti quod non sanè postremum ad eam oppugnandam videri debet. Etenim proditum est parētem humani generis Adamum rerum nō modò gestarum verùm etiam gerendarum mentionem luculentam fecisse posteris, quæ monumentis etiam consignatæ sint. Ex Prophetis etiam plerique omnes rerum gerendarum & dictis & scriptis mentionem fecere aliquam. Inter quos Isaias Scriptor elegans & nobilis, Daniel etiam temporum rerúmque futurarum scientissimus, mirificè claruerunt: ita vt ille liberatoris nostri miracula dirámque mortem non tam eminus spectasse futuram, quàm cominus præsentémque vidisse; hic tum Hebræorum tum reliquarum gentium & clades & imperia veluti ex Chronologia & Annalibus repetere ac texere videatur. Nec multò aliter. Euangelicus author Iohannes: hic enim est qui tum multa sigillatim præmonstrauit quæ apud fidelem Asiæ populum gerenda essent, tum de ijs vniuersim nos admonuit quæ Ecclesiæ per secula imminerent. Nam

X V.
Quo quæsitū est num historia sit Ars, in sequentem librum reijcitur & in eius locū sufficitur alterum.
IN quo vt Historiæ definitio confirmetur altius, vnū adhuc dubitatur & explanatur NVM scilicet ex rebus gerēdis siue futuris euentibus conflari possit Historia.

 salutis

salutis humanæ Author quàm multa de rebus gerendis narrauerit quæ etiam suis quæque temporibus geruntur ac perficiuntur, nihil attinet dicere. tantum dicam eum nos multa etiam admonuisse quæ à Prophetis antea promulgata, euentu ipso in dies verissima comprobentur. quid igitur prohibeat quo minùs historiæ vis ad res gerendas quoque pertineat; ac quoniam res quoque gerendas memoriæ proditas & narratione comprehensas scimus, historiæ definitionem non rebus gestis modò sed gerendis etiam aptemus? Quòd enim isthæc à suis illa scriptoribus oculis nequaquam haurirentur, externísue sensibus perciperentur, haud vetet quominus historiæ nomen inueniant. nam si nõ corporis at certè animi oculis ac sensibus cernebantur: ita vt quantum præstat corpori animus, tantum interior spectatio illa præstet externæ. Et consimili quidem de causa non ab re fortasse fit ad historiam reuocare quæ alij multi diuinitùs afflati, alij à Dæmonibus instincti, alij denique excellentis scientiæ aut prudentiæ ope ac vi, gerenda prædixerint. Nam Sybillas quasdam ac præter Prophetas viros multos Deo caros de gerendis rebus diuinitùs ac Numinis afflatu passim fuisse edoctos, obscurum videri haud potest: aliquos etiam à Dæmone, quippe qui rerum quæ naturaliter ac necessariò euenirent, præscius est, quæ etiam valde procliues, sunt & coniecturis obuiæ, persentit; plura cognouisse, vnde Magi quidem ariolíque ant Sortilogi qui ab eo monerentur, extiterint, non est quod inficiemur. Denique acuti homines ingenij miréque solertes inuentos qui rerum experientia ac prudentia freti & perspicacia de futuris rebus rudes admonuerint, ita vt per alienam imprudentiam Sortilegi malarúmque artium studiosi habiti sint, aut certè in suspicionem venerint, perspectum est. cur igitur non ea etiam quæ ab ijs omnibus antequam euenerint gerenda commemorentur ac pronuncientur, ad historiam redigi sinamus? Ita quidem pace tua, varianda esset historiæ definito ac rebus gerendis etiam vtcunque aptanda & transmittenda. id quod bellè etiam cadat. cum enim tempus tripartitò varietur, par est vt tripartitis quoque rebus respondeat historia. Sic quispiã.

Ego

Ego verò assentiri isti nec possum nec debeo. & vt sigillatim dicam ad singula, & primis primùm; quæ vel Adamus vel Prophetæ dictis scriptisue pronunciarunt ac præmonstrarũt, ad vaticinium & prophetiam quam ex Græcis appellamus, pertinent, non ad historiam: idque siue quia Prophetæ diuinitùs afflarentur, non communi more ac modo res gerendas perciperent; siue quia ne illi quidem quæ prædicerent, perspecta haberent omnia, sed veluti in caligine oblata, sic volente Deo, promulgarent: cum tamen ad receptã historiam quæ quis planè nouerit, atque humano more ac modo nouerit, pertineant vel maximè: siue quia vaticinia illa ænigmatibus plena sint & obscurè (ad profanos fortè arcendos ac sanctum canibus operiendum; fideles quoque ad animi demissionem ac pietatem exercendos) propè omnia euulgata; res gestæ perspicuitate gaudeant, ac lumen adament: siue quia illa menti intimè veluti instillantur, quod cognitionis genus communem historicam cognitionem superat infinito interuallo: ea enim non sine miraculo, hæc naturaliter, illa insueto more, hæc trito & communi, illa, vt rem complectar paucis, diuinitùs ac citra omnem laborẽ, hæc humanitùs a nobis nec sine propria industria cõparatur. denique mihi quidem religio sit profana sacris, terrena cœlestibus tam facilè & inaudito more admiscere, & quæ præcipuo quodã & singulari Dei munere obtigerint mortalibus, cum popularibus ac vulgaribus hisce coniungere & copulare. Itaque sapienter Maiores inde vaticinationem siue, vt cum nostris loquar, prophetiam, hinc Annales historiámque constituerunt, ac per omnem ætatẽ prophetiæ historiaéque notionem longè aliter vsurparunt. Quam sententiam eò etiam libentiùs amplector, quòd eruditissimus author Galenus in libro de optima secta ad Trasybulũ perspicuis verbis monet historiam esse rerum præteritarum & præsentiũ, futurarum verò pernegat. Et hac etiam de causa iubet narrationem rerum futurarum diuinationis nomine comprehendi. Quæ cum ita sint æquo item animo patiemur vt quæ præter Dei Verbũ ac Prophetas aut Sybillæ aut Dei famuli futura monuerunt, ad prophetiã pertineant. Nam quæ dæmone perciti edoctiue præmonstrarunt.

runt aliqui non historiæ sed dæmoniacæ præsensioni accepta esse referéda, nihil est quod dubitemus. Atque hæc sanè præsensio quoniam naturalis est, à vaticinatione differt illa quidem plurimùm, sed tamen historiæ admiscenda non est: idque multo minùs cum isti rerum gerendarum veritatem non tam aperiant quàm præstigijs quibusdam (quod sæpè fit) & imposturis adornent inuoluántque callidè. Ad extremùm quæ sagacitate futura prænuncient homines, ea cum alijs de causis tum maximè quoniam haud dum contigere, & verò antequam fiant incerta sunt, historiæ indigna sunt nomine. Nam qui res anteactas præsentésue non tam propria industria quàm inspirante Numine litteris promulgarunt, vt Mosem inprimis fecisse legimus, hos interim quia eadem vel plerăque viderint ipsi & administrarint, vel à maioribus quibus nefas esset fidem non adiungere, bona fide exceperint, cur ab Historicorum ordine præcludam non habeo. Vt propterea ij tantùm qui res futuras scripserint, quoniam non eas administrarunt aut spectarunt sed diuinitùs tantùm de illis edocti fuut; Prophetarum iustiùs quàm Historicorum nomine appellentur, Quæ cum ita sint, ego quidem (vt ex dictis tum germanas historiæ partes commonstrem, tum definitionem ipsam paucis confirmem) historiam non ingenti illa quam multi proferunt varietate partium onerarim, sed bipartitò distribuerim; nimirum in genealogiam (nisi tamen hæc quoque repudianda sit tandē) & res gestas; ita vt historia præter duas hasce partes reuera alias habeat nullas. Etenim Chronologiā ex historiæ albo iam reiecimus, cum per se nihil, rebus gestis ac genealogijs adiuncta, vt instrumentum tantummodò, pertineat ad historiam. Topographiam quoque & Chorographiam eodem iure aut etiam potiore seiunximus ab historia; cum per se Geographiæ & Mathematicæ sint partes, nec historiæ nisi vt instrumentum seruiant & adiumentum. Geographia denique ipsa ac multò magis Cosmographia ab Historiæ formis eximenda est, cum utraque germana sit Mathematicæ forma & pars, nec nisi vberiori historiæ & ampliori adhibeatur aliquando adiumenti causa. Atque idem de Itinerarijs dixerim quæ ab rebus gestis abiuncta, longè

Ex dictis germanæ historię partes cōmonstrantur, ac definitio confirmatur altiùs.

longè deflectunt ab Historia : rebus gestis adiuncta, atque adeò in illis insistentia, seruiunt historiæ. Igitur tum Genealogiæ & origine tum Diaria & Annales tum vitæ & Commentaria, tum dicta memorabilia & cogitata, tum res gestæ, siue belli sint, siue seditionis, siue pacis, supersunt quæ ad históriam reuocentur. Ex quibus Origenes cum Genealogijs sic misceri patiar & confundi, vix vt vnum discrimen agnoscam nominis. Diaria verò & Annales ægrè inter se vel ab historia distinguũtur. licet enim historia plenior sit quàm Annales, Annales quàm Diaria, in historiam tamen recidũt omnia, cum res gestas persequantur. Vt omittam res in Diarijs, sæpiùs etiam in Annalibus, sic dilatari, in historijs contra nonnunquam, sic contrahi, vt leuissimum ídque vnius fermè nominis supersit discrimen. Idem dixerim de Commentarijs qui etsi priuatis rebus, iísque breuissimè perstrictis, plerunque seruiant, rebus tamen seruiunt quæ in historias cadere solent. Adde quod hos quoque & contractos videas & pleniores, ita vt germanam historiæ imaginem referant ac formam. Neque verò aliter de hominum Vitis dicendum est: quanquam enim hæ certam quandam habent scriptionis formam, ita vt ab ortu ad obitum vsque progredi soleant, factis strictim, vel certè minùs copiosè quàm historici plerunquè faciant, commemoratis (atque idcircò Plutarchus interdum se facta strictim ait attingere, quòd vitam scribat non historiam) res tamen gestas prosequitur útraque: ita vt non rarò Vitæ scriptor vberiore quàm Historicus oratione res gestas commemoret. Iam verò dicta memorabilia aut etiam opiniones & cogitata possint non incommodè ad res gestas ac propterea ad consuetam historiam reuocari. dicta quidem, vel quia passim cum factis misceri soleant in historijs, & verò vt de factis planiùs constet ac perfecta sit historia, miscenda sint: vel quia si conciones, præsertim longiores, abstuleris ab historia, dicta exiguum occupent locum: vel quia dicta etiam res sint, & actione quadam indigeant, vnde ex animo veluti depromantur. Opiniones verò & cogitata, quia & perpauca, & factorum gratia perinde atque consilia, commemorantur sæpè, & verò ad hominum vitam pertinere so-

lent, quæ item historia est. Vt omittam in humanis rebus vitium esse ad viuum resecare omnia: ita vt dicta cum factis reuocari ad communem historiam & possint & debeant. Quapropter patiar quidem vt aliqui Apophthegmata, Prouerbia, dicacitates etsi quid huiusmodi seorsim colligant eruditionis gratia, præsertim verò vt politioribus disciplinis præsto sint; sed tamen cum ex historijs fermè deriuentur, non facilè adduci possum vt inde nouas historiæ formas (quæ tamen planè differant) proferri sinam. Itaque gemina supererit historia, Genealogiæ vna, rerum gestarum altera. Quod si interim (id quod apud multos euenit passim) Genealogiæ cum rebus gestis misceantur, res gestæ in Genealogias incurrant, id, si non tam obiter ac breuiter fiat quàm prolixè & de industria, nec tam alterius gratia quàm sui, historiam ex Genealogia & rebus gestis mixtam habeas ac temperatam. Nisi tamen, quoniam Genealogiæ ac gentium propagationes per se quidem non explent legentis animum, nisi ad res gestas descendatur, quibus cognitis vtilitates historiæ propositas capiens, conquiescat (& ideò Genealogiæ seu origines plùs minus factis implicitæ sunt) rebus gestis concludi possint non iniuria. Fortasse etiam, nisi cum rebus gestis sint coniunctæ, ita vt ijs fulciantur, historiæ authoritate ac iure cadant. Certè qui populorum origines & propagationes, aut gentium Genealogias pertexunt ij migrationes, Vrbium ædificationes, locorum expugnationes, prælia interdum ac germanas res gestas ita complecti solent, vix vt nudam planè Genealogiam vllam apud historicos inuenias; nec si fortè inuenias germanam esse historiæ partem ac formam facilè tuearis. Vt propterea mihi quidem constitutum sit historiæ definitioné nec nouare, nec nisi ijs partibus quæ etiã passim permisceantur, cumulare. Quin etiam quoniam nuda planè Genealogia vix sese in historiæ formam iurè offerat; Diaria verò Annales, Cõmentaria, Vitæ pro historia passim nec temerè vsurpantur, &, quod caput est, res continent quæ genere ac forma vix ac ne vix quidem inter se differunt, equidem historiam multorum pace, simplicem atque vnigenam libentiùs fecerim, atque vnis rebus gestis ijsdémque simillimis cõclu-

ferim

ſerim vniuerſam. Nam ſi quis ita ſit pugnax, qui Annales & id genus alia, quoniam nomine differunt, perinde accipi velit ac ſi omninò cum inter ſe tum maximè ab hiſtoria diſcrepét, hunc ego oratum velim vt res ſpectet ipſas: fore enim ſpero vt non tam facilè ſe à recto abduci voculis patiatur: ſed intelligat Annales ac reliqua illa rerum geſtarum narratione contineri omnia ac proinde vi & natura non diſcrepare. Quòd enim hoc narrationis genus manet latiùs, illud paulò ſit contractius, hoc maiorem, illud minorem induſtriam referat, apud æquum æſtimatorem nominis fortaſſe, rei planè ac naturæ ægrè, diſcrimen patiat: tantũ abeſt vt vna eâdemque definitione (hæc enim varias quoque formas ac ſpecies coërcere poteſt) & Annales, & Hiſtoria, & Vitæ, & Diaria, & Commentarij temerè concludantur. Denique, vt me omni inuidia liberem, cum nomine tum interdum leui quodam & extrario diſcrimine diſſociari ac variari poſſe nõ inficior: vero genere ac forma atque adeò natura, pernego. Nunc, quoniam hiſtoriæ vim & naturam declarauimus, germanas illius partes & formas oſtendimus, conditiones inſuper & proprietates indicauimus, quæque inprimis in hac re grauiſſima dubitationem habebant Theoremata (vnum tamen excipio) explicauimus copiosè, illud ſuccedit vt ad hiſtoriæ leges atque præcepta, id quod libro altero commodiùs fiet, ſeſe conuertat oratio.

Peroratur primus liber & ſecundo ſternitur aditus.

Finis Libri Primi.

DE HISTORIA
LIBER SECVNDVS.

HISTORIÆ Leges iā afferendas, & quales.

HISTORIÆ scribendæ leges atque præcepta aggredimur hoc tempore: idque eo planè consilio vt Historicus rerum gestarum memoriam litteris consignare atque adeò Historiam texere valeat pro dignitate. Qua in re non sum nescius, Auditores, fore vt iam aliquibus tot historiæ leges promulgasse, æquis etiam æstimatoribus persuasisse, videar, quot ferè Theoremata ac dubitationes explanaui. quid ni enim historiæ scriptionem meditanti pro lege sit Annales rerúmque monumenta quam accuratissimè spectanda: probatos testes diligenter audiendos: causas rerum gestarum atque consilia exploranda: præclara facta non sinè laudis, flagitiosa nō sinè vituperationis, significatione commemoranda: concionibus, præsertim rectis, abstinendum? nam vt in historia oratio sit emendata, perspicua, æquabilis ac temperata. hæc verò germanas esse leges, nemo non animaduertat. Ego verò ijs non magnopere repugnarim: sed tamen illud etiam affirmauerim, Axiomata primum ac perspicua enunciata in legum habenda loco, quæque non possint non facile probari omnibus. tales enim oporteat esse leges quibus Historico in tam graui munere sit obtemperandū, quæue tanquam Ideæ quædam ac formæ spectandæ sint. Tametsi eas quoque leges subijciendas putauerim quas præstet ratione adhuc confirmare altiùs, atque ab omni dubitatione aut obscuritate eximere & vindi-

vindicate. Axiomata igitur inter leges numeranda primùm; vt ab ijs quæ perspicua videri possunt ac certa ducatur initium. Quanquam vt de instituto atque ordine vberiùs constet ac planiùs, tripartitas proferam historiæ leges, ex quibus primæ ad Historicum pertinebunt, ne scilicet imparatus ad scribendum accedat, sed ijs præceptis ingenium muniat ac pectus quibus muneri commodè satisfaciat. Alteræ a rebus gestis erunt deriuandæ, vt earum tum inuentio tum dispositio apta sit & conueniens. Postremæ ad elocutionem pertinebunt, vt quæ aptè inuenta sint & disposita; congrua dictione narrentur. In his versabitur tripartita legum varietas quibus Historicus suas partes impleat pro dignitate. Nunc a primis incipiamus; ac leges quæ Axiomata videri possunt, prout polliciti sumus, primo loco proferamus. Inter quas, vt M. Tullio obtemperemus; prima illa sit NE HISTORICVS QVID FALSI DICERE AVDEAT. ac rectè. nam si historia fuerit obscura aut perturbata, historia tamen erit, quamuis imperfecta: at vbi sit mendax, non historia sed fabula censeatur. Et sanè quemadmodum humanum hoc corpus & caducum statim ac discesserit animus, humanum corpus haud est amplius, sed in cadauer conuertitur, ita veritate exclusa in fabulam conuertitur narratio. Ex quo fit vt Historicus ipse germanus habendus sit fabulator. vt enim Dialecticus aut Philosophus, si captiosis vtatur rationibus & falsis, non Dialecticus aut Philosophus, sed Sophista censeri solet; ita Historicus vbi mentiri audeat & falsa comminisci, fabulator habendus ac dicendus est. Quòd si existimes fieri nullo modo posse vt non interdum mendax sit Historicus (fatale enim decipimur omnes) illud certe fieri potest vt pro virili veritatem sectetur, ita vt de industria mentiatur nunquã. Atque huc facilè spectauit M. Tullius cum præciperet ne quid falsi dicere auderet; non tam enim iubet ne mendacium in historia sit nullum (nam id vix ac ne vix quidem patitur humana conditio) quàm ne quis mentiri audeat ac mendax sit de industria. Hinc Polybius historico, si per ignoratione͂ sit mendax facilè ignoscendum, si data opera, implacabiliter succensendum, statuebat. id enim vnum requiritur vt ne sciens pru-

Ex tribus veluti fontibus esse ducẽdas.

I. HISTORIÆ LEX.

dénsque mentiatur. Atque hanc ſanè laudem Thucydidi Halicarnaſſeus Dionyſius, etſi alioquin multa in eo requirat, impertiri non dubitauit cũ ſcriberet HOC IN THVCYDIDE SVMMVM *& eximium eſt, quòd neque mendacium voluntariè dicit, neque ſuam ipſe conſcientiam turpi labe contaminat*. Cuius tamen rei fides, quoniam non idem planè ſentiunt omnes de Thucydide, apud authorem ſic tantiſper, dum opportunus ſeſe offerat huic conquiſitioni locus. Illud certum ſit ad hanc laudem Hiſtorico velis remíſque contendendum. Et ideò ſi quid fortè narretur quod non planè ſit exploratum, id ipſum ingenuè fateatur, ac fama vel aliquorum opinione id percrebuiſſe moneat. Altera

II. LEX. illa ſit vt NE QVID VERI DICERE NON AVDEAT. ac rectè id quoque ſi quid enim ad rem geſtam pertineat (quæ enim aliena ſunt nihil eſt quod commemorentur) id ſinè crimine prætermitti non poteſt. & ideò vel non ſcribendum vel audendum. Scio rem eſſe aleæ pleniſſimam, & in qua illud caneret Ariſtoteles

Ὠκύμορος δὴ μοῖ τέκος ἔσσεαι οἷ ἀγορεύεις,
Mortis eris properæ mihi, nate, heu talia fando.

(id enim Homericam Thetin imitatus vſurpauit Ariſtoteles vt Calliſthenem moneret ne liberè Alexandrum, prout cœperat admoneret) ſed vbi res poſtulet, cum Calliſthene audendum. denique vel munus non attingendum, vel celſo animo obeundum: atque illud rurſus ex Ariſtotele vſurpandum, *ſanctiùs eſt Socrati & Platoni anteponere ueritatem*. quod ſi obijcias hiſtoricos proferri poſſe multos qui veritatem ſiluerint, id, ſi de induſtria fecerint, crimini quoque tribuatur neceſſe eſt.

Dubitatur Nũ Veritatem interdũ præſtet ſeu liceat reticere, tametſi ad Hiſtoriam pertineat.

Quanquam illud interim dubitet quiſpiam quod moderatum Hiſtoricum, maximè verò Chriſtiana pietate imbutum hærentem habeat. quid enim ſi aut cauſa aliqua, aut conſilium, aut euentus ſeſe offerat, occultus ille quidem ac latens, ſed qui tamen ad hiſtoriam eiúſque perſpicuitatẽ multum pertineat, nec ſinè viri honeſti & grauis aperiri poſſit infamia? ſi enim reticeatur, luce carebit res geſta, atque adeò imperfecta erit hiſtoria, ſi detegatur,

hinc

hinc honestus vir infamiam contrahat :quòd siue ex Christiana siue ex Naturæ lege ne fiat cauendum est. Id autem eò maiorem habet ambiguitatem quod facilè contingere possit vt hinc vel Regis vel Reipublicæ alicuius, vno verbo eorum qui authoritate ac dignitate præstant inter mortales, flagitium detegatur. neque enim non interdum accidit vt pax verbi gratia per improbitatem frangatur: fœdus flagitiosè constituatur: Vrbs turpi proditione occupetur: amicus, patria, religio ipsa impiè prodatur, vno verbo, fides, iusiurandum humana ac diuina iura auri ac regni causa violentur: cum tamen interim honesto quodam prætextu sic respergatur factum vt probetur omnibus, nec Regis verbi gratia aut summi illius viri seu Reipublicæ periclitetur dignitas & fama. huiusmodi enim facta cum plurima occurrere possunt in vita, tum maximè in publica Regni aut Vrbis aut belli administratione; maximè verò vbi periculum immineat graue. Neque enim temerè illud exclamauit Poëta

——Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?——

nec exemplis Tragicum illud caret, si violandum est ius, regnandi causa violandum. Ita demum si is scribat historiam qui summi illius viri vel à secretis vel à consilijs fuerit, ita vt turpis illius facti vnus sit conscius, aut certè ab eo qui planè conscius sit, illud rescierit ac liquidò perceperit, quid in re tam ambigua faciendum est? silendum ne an res prodenda ingenuè? Equidem dicam quod occurrit in præsens. Ne famam honesti viri vel qui saltem apud homines benè audiat atque honestus ac probus habeatur, maculemus, prouidendum est diligenter: multò verò maximè si dignitate fulgeat, aut nobis iusto titulo imperet ac dominetur. Itaque vbi flagitium lateat, haud fas sit Historico illud pandere, quamuis facti eius prætextum & causam quam sparsam ac peruulgatam viderit, nullo modo confirmabit ne faueat falsitati, sed tacitus præteribit. Quanquam vbi tale tantúmque sit flagitium vt inde vir alter, ísque honestus & insons, prematur infamia, ac summatim per summam iniuriam reus innocens, innocẽs reus, habeatur, satius fortasse sic veram causam ape-

Respondetur.

rire quàm reticere. hinc enim non tam infamia respergas sontem quàm insontem liberes: nec tam abditum detegas facinus quàm oppressum subleues & innocentem. Sic Daniel Susannam ab infamia & interitu liberauit: aduersarios, qui alioquin optimè audiebant, respersit infamia. Quin etiam idem licere suspicetur aliquis, quamuis è contrariò nullius inde nomen denigraretur ac fama. quanquam enim nullius interim fama & innocentia vindicaretur ab iniuria, prodesset tamen mortalibus turpissimi facti authorem ignominia notari, ne quis sibi occulto scelere consultum vnquam putaret satis. certè Tacitus nullius famæ parcendum sentit vt historia syncera sit & plena: quin vt omnibus ex infamia sit metus. Denique Historicus publicæ consulit vtilitati. quid igitur si vnius aut alterius fama neglecta, quæ reuera non tam ex virtute quàm ex flagitio collecta sit, mortales instituat ac publico prospiciat bono? sanè publicam vtilitatem priuatæ anteponendam esse nemo est qui non intelligat. Quanquam de re hac tota ijs assenserim qui de humanæ vitæ officijs disserunt, atque illam ex Theologicis initijs disceptare valeant pro dignitate. Tertia illa est, NE QVA SVSPICIO GRATIÆ SIT IN SCRIBENDO NE QVA SIMVLTATIS. & acutè. nam etsi verum dixeris, vbi tamen simultatis aut gratiæ non absit suspicio, suspiciosa euadat Historia. Itaque non cauendum modò ne quid re ipsa aut odio tribuas & simultati, aut amicitiæ & gratiæ, ac summatim ne quid aut falsi dicas aut veri reticeas, verùm etiam ne tua culpa suspicio irrepat vlla. vt enim Cæsar suam domum non solùm crimine sed criminis suspicione carere voluit, ita historia criminis quoque, hoc est gratiæ, & simultatis, suspicione liberanda est. quod si quis id quoque arduum ac penè ἀδύνατον reputet, cum vix vnquam scriptor affinitate aut genere partem nō attingat aliquam, ac non aliquid amicis, patriæ, affinibus tribuat, sibi verò inprimis, si rebus gestis præfuerit interfueritue, non ignoscat aut blandiatur; tamen vt huic veluti hosti occurras obsistásque nitendum est, vel scribendi munus non suscipiendum. Hæc lex tertia: quam sanè cum duabus prioribus inter præcipua historiæ Axiomata referri velim, quòd

III. LEX.

Tribus propositis legibus illustrandis su-

citra omnem controuersiam probentur omnibus. Etsi, quoniam veritati quæ reuera historiæ puppis est ac prora, patrocinantur omnes, quædam ijsdem illustrandis addere lubet ex Luciano. Quanquam enim is in eo, quem de historia scribenda reliquit librum, ad irridendum fictus, quod est sui similis, videri possit, cum eorum temporum historicos non minùs salsè quàm eleganter perstringat, quæ tamen præcipit de scribendi libertate, déque vna veritate retinenda & promulganda, aurea mihi videri solent. *Ergo libero inprimis* (inquit ille) *animo sit historicus: nec metuat quenquam nec ab vllo speret quidquam: alioquin similis sit malis iudicibus qui vel ad gratiam vel ad odium accepta mercede sententiam ferunt. Neque verò illum perterreat Cleon, & quòd in concione plurimum valeat suggestumque aut tribunal quasi possessionem suam detineat, eum retardet quominus aliquem exitiosum esse hominem insanumque dicat. denique neque tota Atheniensium Ciuitas absterreat illum, ne non vbi de cladibus in Sicilia acceptis historiam composuerit, omnia ista commemoret, quo pacto & Demosthenes captus fuerit, & Nicias mortem obierit, quomodo exercitus siti laborarit, & qualem aquam biberit, & vt inter bibendum plerique trucidati fuerint. Exstimabitur enim (id quod iustissimum est) ab ijs qui sana mente præditi sunt, non ipse in culpa esse si ea quæ fœliciter aut stultè gesta sunt, ita vt gesta sunt, narrabit. Non enim ipse talia fingit, sed verbis tantùm indicat atque exponit. Quare siue prælio nauali superati fuerint, non ille tamen is est qui eos submergit: siue in fugam conuersi fuerint, neque idem ille est qui eos persequitur. Sed nec ea quæ semel facta sunt siue Clotho reuoluet siue Atropo in diuersam partem mutabit. Proinde Historici opus vnum est, vt quæque perinde ac facta sunt exponat. hoc autem facere non poterit donec vel Artaxersem metuerit, medicus ipsius existens; vel speret Candyn purpureum & torquem aureum & equum ex Nisæis illis aliquem se accepturum esse: mercedem videlicet laudum earum, quas scriptis inseruerit. At neque Xenophon illud faciet, iustus scriptor, neque Thucydides. sed siue priuatim oderit quodam, multò magis necessarium putabit quod publicum est: veritatemque pluris faciet quàm inimicitiam:*

Adijciūtur quædam ex Luciano.

tiam: quod si etiam amauerit, tamen non parcet illi, quisquis peccauerit. vnum enim hoc proprium est historiæ ac Soli veritati immolandum est ei qui ad historiam scribendam accedat, cætera postponenda omnia. Et in summa vlna vna & mensura certa est, aspicere non ad præsentes, sed ad eos qui impósterum hæc legent. Quod si quis continuò beneuolentiam captet ac fauorem consectetur, meritò inter adulatores numerabitur, quos iandiu historia non minùs est auersata quàm comendi artem Gymnastica. Metu igitur careat Historicus, & nullis muneribus corrumpatur, liberque sit ac dicendi libertatem & veritatem amet. &, vt Comicus ille ait, ficus ficus, ligonem ligonem, nominet: nihil odio, nihil amicitiæ tribuat: non parcat, non miserescat, non erubescat. Hæc (etsi interposita sint alia quædam quæ prætermisimus) Author iste perbeata illa & dulci Atticorum elegantia: de quam tamen, interpreti diserto quamuis, multum deperat necesse est. Atque huc etiam bellè cadit quod Lucceius, hoc est historicus nobilis, & Ciceronis præconio clarissimus, scribenti sibi censuit constituítque prouidendum: vt ne magis alliceretur afficeretúrque gratia quàm Xenophontius Hercules voluptate. Iam verò qui pectus ita præparauerit vt quoad possit nil sibi aut falsi dicendum, aut veri reticendum, aut odio vel gratiæ tribuendum, sed veritati planè seruiendum statuerit, multum quidem effecerit; sed tamen quæ expediat adhuc & perficiat, supersunt multa. Vt enim qui amplissimæ domui ædificandæ amplissima iecit fundamenta, non minorem absoluit partem: sed tamen multa illi elaboranda sunt adhuc, ita in historia qui pectus ad veritatem præparauerit, multum & perfecit & perficiendum sibi reliquit. Itaque illud succedit vt qui voluntatem optimè comparauit, ingenij quoque virtutes ac dotes expediat & comparet ac summatim Naturæ, studij, seu quæ studio paratur artis aut peritiæ, exercitationísque, vires exerat ad Historiam. ac Naturæ quidem virtus, hoc est ingenij acumen ac celeritas, facilitas item ac solertia, optari quidem à nobis potest excoli etiam ac perpoliri: parari certè nullo modo potest. secus studium ac peritia, secus exercitatio: quæ duo diligentia & industria parari pos-

Alijs legibus sternitur aditus.

sunt:

ſunt: tametſi niſi Naturæ virtus, tanquam pingue ſolum ſationi, vtcunque antegrediatur, omninò perfici nequeunt. Et quanquam non is ſum qui quam in Philoſopho, Naturali præſertim, ſolertiam ingenij acuménque requiro hanc depoſcam in Hiſtorico, non tamen hebetem illum feram ac tardum. Eodémque modo ſi non peritisſimum rerum & exercitatisſimum, at certè non tyronem tulerim & rudem. denique, vt me expediam, patabilem eſſe patiar, bardum eſſe non patiar. Quæ cum ita ſint iam quartam legem afferre placet quam Hiſtorico præfiniamus; nimirum VT INGENIVM SI NON PLANE FICTVM AD HISTORIAM, SALTEM NON INEPTVM, AFFERAT ac RVDE ita ſcilicet vt ſi non ſummum at certè mediocre à Natura acumen ingenij mediocrémque ſolertiam acceperit: peritia quoque rerum ac tractatio non planè vulgaris acceſſerit. At enim quarum rerum peritiam requiris & tractationem? earum quæ belli pacíſque propria videri ſolent. atque hanc ſanè Ciuilem appellare lubet interim: quamuis non quæ ad Ciuilem ſcientiam reuocant Philoſophi, ea nos in hiſtorico requirimus omnia, ſed quæ vulgò magis propria & obuia videri posſint; atque illum in belli pacíſque artibus non rudem eſſe ſinant: ídque vt res geſtas, quoniam belli ſtudijs ac pacis artibus continentur, narrare posſit appoſitè. Sed iam audire mihi aliquem videor qui vrgeat & acriter inſtet vt quoniam reuera belli pacíſque ſtudia ſunt permulta, apertè exponam quæ planè ſint in hiſtorico optanda, & ſummatim quatenus in eo politica exercitatio ac peritia requiratur. Ego verò huiuſmodi rem, vt ingenuè fatear, non facilè ſtatuerim; ídque vel quia longè variæ ſint Hiſtoriæ formæ, quaéque non eadem belli pacíſque ſtudia, nec eandem veluti ſupellectilem efflagitent in Hiſtorico: vel quia illa definire conanti difficilè ſit omnibus ſatisfacere. Etenim ſunt qui Hiſtoricum in caſtris verſari iubeant ac militarem & animo eſſe & ſtudijs: Ciuili quoque imbutum prudentia, quíque rebus gerendis ingenium & acutum afferat & docile, & exercitatum, ex quo ſanè fit vt quam Thucydidi tripartitam prudentiam tribuit antiquitas Ciui-

IV.
Lex, quæ ad ingenij dotes pertinet, & ciuilem cognitionem.

lem, bellicam, historicam, hanc ij in vna concludant Historia, atque Historico necessariam decernant. Quanquam isthæc ipse, si insint Historico, non modò libenter amplector, sed laudibus efferam: sed tamen si quædam magna desint ex parte, æquo feram animo; eúmque non malum historicum (si tamen non absint cætera) haberi patiar, ídque vel quia parabilis Historicus sit optandus, vel quia rebus tantummodo percensendis ac narrandis non planè necessaria videatur tripartita illa prudentia & virtus. nam quid obsecro in eo requiras ampliùs cui res non describendæ solùm verùm etiam gerendæ sint, atque ita gerendæ vt domi militiaéque præsit Reipublicæ? Et sanè vt non omnibus datum est adire Corinthum, ita non omnes Historici Thucydidem aut Cæsarem æquare possunt. vt omittam nostrum Historicum non ad instar Medici, quem omnibus planè virtutibus fingit Galenus, fingendum: nec Regis & Imperatoris quem formauit Xenophon, formandum exemplo: nec denique ad Politici quem Plato, aut Oratoris quem Cicero, votis pepererere, imaginem effingendum, sed qui præsto sit, ac rebus gestis describendis, quoniam occurrunt passim oppidò expeditus adsit ac promptus. Denique dum ei præstolemur vt tot tantísque virtutibus compleat pectus, verendum profectò est ne

Ante diem clauso componat vesper Olympo.

ac propterea scribendi prætereat occasio & dilabatur. Quapropter, vt me omni inuidia liberem, sic statuo. Is sit Historicus qui rei militaris ac ciuilis lectione vel auditione vtcunque excoluerit ingenium: quíque proinde non incommodè intelligat quæ ex re militari aut ciuili sint consignanda historiæ. nam historiam bellicis gestis magnam partem contineri atque inter tubas si non ortam, at certè educatam ac propagatam, satis constat: ciuili quoque prudentia, quò saltem consilia, causæ ac rerum quæ tractantur momenta, tum ritè intelligantur, tum vtcunque æstimentur opus esse compertum est. quibus tractatio aliqua, aut saltem animaduersio diligens rerum publicarum accedat oportet, ne

inter-

interdum hærendum sit in earum narratione rerum, & historia. si enim quidquam de legatione, fœdere, vectigalibus, commeatu, pecunia, armis, peditatu, equitatu, tormentis, stipendijs, & huiusmodi alijs dicendum sit quæ in re bellica, & ciuili obuia fermè sunt omnibus, & in communi posita, turpe sit tyronem esse ac rudem. sed & gentium quarum texitur historia, originem, leges, mores, publicas amicitias, commertia, inimicitias, vires, exercitationes, illustria facta, sic ignorasse vt in ijs hospes ac peregrinus videri possis, turpissimum. Tametsi quam interim Historico supellectilem parandam iussimus, in Historico illo tantùm requirimus, & flagitamus cui non Annales solúm aut Commentarij sint conficiendi, ac summatim minùs grauis & illustris, historiæ forma tractanda; sed historia plenior & operosa. Atque eâdem sanè de causa non dubitabimus alia quædam in eo expetere & flagitare quæ item industria indigent ac studio, nec tam actione quàm contemplatione parantur. Igitur quinta iam extat lex, vt TVM CHRONOLOGIÆ TVM TOPOGRAPHIÆ AVT CHOROGRAPHIÆ NON IMPERITVS SIT ATQVE IEIVNVS, SED MEDIOCRITER SALTEM GNARVS. Chronologiæ ac temporis, vt quo quidque gestum sit tempore appareat, ac prima facta primis, media medijs, postrema postremis respondeant. denique filum sequatur temporum ac suo quodque collocet loco. est enim tempus historiæ custos optimus: tametsi hæc non eo consilio dicta esse velim, vt minutam temporum ac penè otiosam rationem habeat, quasi verò nulla actionis pars narranda quæ tempus nō exprimat certum, sed vt actio tota ac præcipuæ partes temporis haud careant luce. quæ res Historici iudicio ac prudentiæ relinquitur. Topographiæ, vt rerum gestarum locus, quoniam intelligentiæ plurimum confert atque memoriæ, vbi id res postulare videatur, describatur non negligenter. quanquam enim ad hanc rem non Poëtæ requirimus industriam, cum ij plerunque locum suis luminibus ac pigmentis quasi pictores ante oculos ponant; optamus tamen vt quod cognitioni sit necessarium

V. LEX. Quæ doctrinæ item requirantur in Historico.

haud negligat. Atque idem dixerim si rerum gestarum narratio Chorographia atque integræ regionis descriptione indigeat. ad quam rem Geographia & Cosmographia conducit plurimùm. nisi enim terrarum longitudinem ac latitudinem teneas, ac longitudinis & latitudinis gradus in regionis descriptione spectes, ac quantùm regio ad polum accedat nostrum aut etiam ab eo recedat noueris, ac summatim plagas climatúmque varietatem non animo complectaris vnde terrarum tractus dignoscas, sæpè obscuriùs scribas necesse est. certè qui remotarum gentium ac dissitarum regionum prodat monumenta, ac sigillatim Indicas nauigationes & historias scribat euoluátve, is sinè aliqua Cosmographiæ cognitione nutabit passim. Vt propterea mihi quidem Cosmographia & Chronologia duo historiç lumina videantur.

VI. LEX. Quæ ad dicendi scribendiq; exercitationé pertinent.

Ad extremùm ea de Historico feratur lex VT DICENDI VEL POTIVS SCRIBENDI EXERCITATIONE TANTVM PROFECERIT, VT NON OBSCVRE ET IMPOLITE SED PERSPICVE ET CANDIDE RES GESTAS PERSEQVI POSSIT. Nam hac planè de causa iussit M. Tullius vt Historici dictio illustris esset ac pura: eodem nomine affirmauit in historia nihil illustri & pura breuitate dulciùs reperiri: denique hoc consilio (quod multorum pace dixerim) historiæ scribendæ munus Oratori non dubitauit iniungere. Cum enim apud Romanos dumetis adhuc obstructa esset, & in squalore obscuritatéque iacêret, Oratoris industriam requirebat vnde candor illi accederet ac perspicuitas. De qua tamen re non est cur plura dicam hoc in loco: quandoquidem & in primo libro dum Historicum ab Oratore seiungerem, docui qualis illi conueniat dictio; & verò non multò post historicæ dictionis leges ordinandæ sint & promulgandæ. Atque hæ sint leges quas ad Historicum ipsum pertinere volumus: vt ne imparatus ad historiam scribendam prosiliat. Et sanè qui historiam, præsertim nobilem, scribere medidetur, huic Flacci præceptum diligenter est recolendum. Quod enim Poëtis præcepit ille dum hoc modo scriberet

Sumite

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus: & uersate diu quid ferre recusent,
Quid ualeant, humeri——
id in Historicum mirificè conuenit, cui non minùs quàm Poëtæ ingenij ac doctrinæ vires expendendæ sunt ne suscepto succumbat oneri. Igitur cauebit noster Historicus ne ad historiam scribendam descendat, præsertim pleniorem & grauem, nisi ijs tum ingenij tum doctrinæ tum exercitationis præsidijs instructus ac munitus sit quæ hactenus illi necessaria esse docuimus. Nunc ad eas leges quæ ex rebus ipsis deriuandæ sunt & historiæ inuentionis ac dispositionis propriæ videri possunt. Ac primùm operæpretium fuerit vt FACTA DELIGAT CONSCRIBENDA QVAE HISTORIAE FINI (hunc iam antea monstrauimus accuratè) VEL MAXIME ACCOMMODATA SINT: ita scilicet vt humanis exemplis referta sint vnde cautionem ac prudentiam hauriant homines, & ad omne vitæ genus, præsertim in aduersis rebus aut secundis, erudiantur. Certum est enim ex rebus gestis aliàs alijs esse potiores, quaéque ad humanarum rerum inconstantiam declarandam, peruicaciámque frangendam, vitam denique instituendã, plus momenti habeãt. Quæ tamen res, quoniam humana facta non vnius generis sunt, ac patent quamlatissimè, authoris iudicio ac solertiæ relinquitur. Quamuis non est quod fateri vereamur posse bonum historicum ex obuijs fermè quibúsque euentibus quæstum facere: ac tum ex publicis rebus gestis exempla ad prudentiam desumere vnde vtilitates multas mortalium instillet pectori, tum actiones plurimas ex priuatis arripere monumentísque consignare, quas legẽdo in suum quisque vsum conuertat. de qua re monere placuit, quòd sciam plerunque contingere, vt quis non ex amplissimo actionum rerúmque gestarum veluti campo euentus seligat quos mandet Historiæ; sed obuios tantùm atque illos fermè vnos arripiat quos suo veluti calamo accommodatos animaduertit, quia scilicet inde tantùm opportunitas sibi aperiatur, cum eas vnas res vel peruiderit ac tractauerit, vel optimorum testium sermone, aut aliquorum Annalium lectione perceperit: ac propterea

VII. LEX. Quæ RETINET ad inuentionem & delectum rerũ gestarum.

eas vnas bona ſpe aggredi poſſit & peruulgare. Ita quidem dum Halicarnaſſeus tum pulchram deligi iubet historiam, tum iucundam quaéque legentium animos mirificè afficiat & capiat, de pulchritudine laudo equidem: tametſi enim ipſe ſibi caneret quòd Romanam delegiſſet hiſtoriam, hoc eſt omnium pulcherrimam, atque ideo Thucydidi etiam anteponi cuperet,(qua in re, mea quidem ſententia, votis reſpondit euentus, imò verò ſi qui deſiderantur libri ſuperſtites forent, atque ijs qui extant pares eſſent, meliorem hiſtoricum ac nobiliorem nec Græca tuliſſet nec Romana habuiſſet hiſtoria) nemo tamen iurè inficietur præceptum quoque ipſum videri pulchrum ac ſuo dignum authore. Sed tamen, quoniam rarò integrum nobis eſt vel opportunum pulcherrimã eligere hiſtoriam, non ab re fuerit monuiſſe vt ſi non tam electio quàm ſors aut opportunitas res geſtas obtulerit quas narres, illud ab initio tecum ipſe ſtatuas vt finem hiſtoriæ propoſitum, mortalium inquam vtilitatem, ſpectes eidémque ſeruias pro virili. At verò de iucunditate diſſentire cogor, ſiquidem vtilitas ſpectanda eſt maximè, iucunditas non in finis ponenda loco aut per ſe, niſi obiter, quærenda eſt. Itaque egregiè Lucianus, *Vnum eſt opus hiſtoriæ, & unus finis, utilitas; quæ ex ſola ueritate conciliatur. Iucundum uerò ſi etiam ipſum ſequatur, melius quidem hoc, perinde, ac ſi athletæ forma ſeu pulchritudo acceſſerit. ſin minùs nihil uetat ab Hercule prognatum eſſe Nicoſtratum illum Iſidori filium, generoſus cum ſit & utroque colluctatore ſuo fortior, etiamſi ipſe quidem quod attinet ad faciem, turpiſſimus uideatur. Alcæus autem ille Mileſius colluctetur cum eo. Quare hiſtoria ſiquidem obiter, & uelut auctarij modo, iucunditatem additam habeat, complures amatores ad ſe alliciet: etſi perfecta eſt adhuc integra dum id ſolùm habet quod peculiare ac proprium ipſius eſt, ueritatis expoſitionem dico, non magnam pulchritudinis rationem aut curam habet.* ſic Lucianus. Quæ cum ita ſint, dum Halicarnaſſeus tam exaggeratis verbis pulchritudinẽ & iucunditatem requirit in hiſtoria, ſcribítque, *Primum officium eſſe puto, & id uel maximè omnibus neceſſarium, qui res geſtas hominum monumentis Annalium mandare ſtudent, ma-*

teriam

teriam eligere pulchram & iucundam, & eam quæ animos legentium uoluptate afficiat atque perfundat, verendum est ne pulchritudini etiam (nam de iucunditate dubitare iam non licet) plus æquo concedat ac tribuat: quandoquidem vtilitas, quippe germanus historiæ finis primum studium & locum sibi vendicat in historia. Nisi tamen eo saltem nomine tueatur Halicarnasseum quòd pulchritudo quam nos vtilitati opponimus, fluxa sit, vel potiùs adumbrata & falsa, ac pulchritudinis indigna nomine: ipse cõtra pulchritudinem appellet eam quæ cum honestate & honesta hominum vtilitate coniuncta sit. certè continenter inde probat Thucydidis materiam non esse pulchram, quòd nec honestum bellum contineat, nec historia dignum. Sed Thucydide ac Dionysio dimisso ad rem nostram redeo. Porrò autem cum aliquis de rebus gestis constituerit, quas posteritati mandare moliatur, cásque humanæ inprimis vtilitati accommodatas, & quoad eius fieri possit, pulchras ac si ita ceciderit, iucundas, eò primùm conijciat animûm VT VNIVS TEMPORIS (id quod in sua Poëtica monuit Aristoteles) SIT HISTORIA: quod est (vt huius mentem authoris aperiam) Poësim vnius actionis esse debere, atque inde illius vnitatem existere: Historiam autem multarum: sed tamen vnum tempus Historico tribuendum: ita vt Historicus certum sibi tempus præfinierit cuius res gestas narret, siue annum, siue Olympiadem, aut lustrum, siue seculum, vel etiam cuiuspiam cuius vitam describat ætatem. denique vnum aliquod certúmque tempus sibi præscribat oportet Historicus, ne historia aut concisa sequatur tempora, quæque inter se non continuentur, sed interuallis discreta sint, aut finibus careat aberrétque longiùs. Qua tamen in re prouidendum est diligenter vt tempus commodè cadat, ita vt debito initio medio & fine gaudeat. id verò continget si rebus gestis bellè consentiet: & quantum liceat ab ipsis causis atque primordijs initium duxeris, historiámque ipsam cum factorum exitu terminaueris. vt enim Epicam fabulam non rectè vel auspiceris vndique, vel termines vbicunque, sed debito actionis initio & fine instituenda est, sic historia. & sanè vt animal certo conuenien-

VIII. LEX. Vt vnius temporis sit historia.

tíque initio & fine, capite scilicet ac pedibus, constat, ita historia initium rerum gestarum tanquam naturale caput exprimat finem instar pedum referat, interiectas quoque partes tanquam medium obijciat necesse est. Et quanquam ea quæ in historiam, etsi alioquin vnam, cadere solent, plerunque inter se nec personis, nec regionibus, nec fine cohærent; quin toto dissident cœlo, cum tamen in Poëtica fabula cuius vnitas ex actione pendet partes cohæreant omnes (& hac de causa, opinor, historiæ vnitatem non ab actione sed à tempore deriuauit Aristoteles) faciendum tamen est vt si non initium, finem saltem rebus gestis consentientem, initium etiã non omninò dissentiens, ac summatim partes quoad eius fieri possit cohærentes obtineat. Itaque à primis belli verbi gratia aut seditionis motibus earúmque causis (nisi tamen alterius sit continuanda historia) ac summatim ab actionis rerúmque primordijs ducas initium: quibus finem item commodum (commodum appello in quo seditiones aut prælia, vno verbo motus illi ac rerum series terminari aut conquiescere videantur) imponas ac statuas. Hinc mirum est quantopere Dionysius Halicarnaſseus hac in re Thucydidis iudicium requirat, Herodoti contra laudet industriam, quòd ille minùs aptè, hic appositissimè historiam & inchoarit & clauserit. Id quod in clarissimorum hominum Vita, aut Vrbium, regnorúmue historia non difficilè est quod perficiatur, in belli pacísque factis & institutis iudicio & industria indiget non mediocriter. Iam verò nona lex illa sit quam ratio atque adeò necessitas ipsa suadet; nimirum VNVM ILLVD CERTVMQVE TEMPVS CERTIS REGIONIBVS, PERSONIS, ACTIONIBVS CONCLVDENDVM. nam qui certum sibi tempus præfinierit cuius res gestas conscribat, vt octogesimæ verbi gratia Olympiadis, is præterquam quod non idcircò conueniens ac veluti naturale initium historiæ dederit, nisi fortè in eius initium Olympiadis noua rerum gestarum primordia incidant ac motus, vnde commodè ordiatur historiam; profectò res gestas omnes quæ per idem tempus toto Terrarum orbe, & ab omnibus gentibus profectæ sint, narret necesse est, nisi Olympiadem

IX. LEX. Tempus certis personis actionibusve aut regionibus concludendum.

illam

illam ac tempus; vt dicebam, certis personis, actionibus, regionibus, circumscribat; & quæ octogesima Olympiade in Græcia verbi gratia ab Atheniensibus gesta sint, sibi narranda proponat. alioquin infinitum opus aggrediatur quod nullius Historici industria expleri possit. & quamuis non defuerint qui generalem historiam egressi sint, quasi verò gentium omnium facta, atque adeò totius terrarum orbis historiam scripturi essent, ij tamen vix delibarunt pauca quæ dã, infinita propemodum prætermittentes. Quapropter liceat quidem totius æui Chronologiã texere, in qua Monarchias, quæéque cognita fuerint regna, ac præcipuos quosdam illorum euentus, consignes historiæ: at res gestas sinè exceptione vlla, siue citra Regionis, personæ, actionis designationem litteris consecrare, haud humanæ sit industriæ ac facultatis. Imò verò qui historiæ ac tempori personarum, actionum, ac regionnm fines præscribunt illi qnidem, sed qui latissimè pateant; atque amplissimi videri possint, ijs quoque ne Isthmũ perfodiant aut incompositam planè historiam condant, cauendum est diligenter. qui enim Europeam verbi gratia sui temporis historiam scribat, is sanè quamplurimas habeat regiones, personas, actiones, quibus distrahatur & occupetur. Quapropter si seorsum pro Regnorum ac Regionum varietate, res gestas narret, quod semel attingere ac decurrere tempus cœpit, in Regnis aut regionibus singulis, quoniam dissita fermè ac diuersa offerunt facta, erit ab initio repetendum eodémque modo tanquã repetito studio decurrendũ, ídque toties faciendum, vt non modò legentis mens impediatur ac memoria, verùm etiam fastidium gignatur ac nausea. Huc accedit quod reuera non vnam sed multas texet historias: vt enim ex ijs quæ tum de Vrbis origine scripsit Dionysius, tum de rebus in Asia eodem tempore gestis scripsit Herodotus, vna eadémque non existit historia, quamuis ea vno eodémque contigerint tempore; ita ex ijs quæ tum aqud Græcos tum apud Hispanos gesta sit, si nullo modo misceantur, sed narrationibus ab initio ad finem vsque distinctis contineantur, quantũuis in idem inciderint tempus vnigena non existet historia. præsertim verò si quemadmodum

dissitis in locis ita non ab ijsdem populis aut ducibus gesta sint. Nec minora ferè incommoda res habeat si certis quibusdam articulis ac veluti commissuris facta iungantur: ita vt cum certa quædam Græcæ historiæ narrata fuerit pars, commodus Hispaniensibus rebus præbeatur locus quæ item aliqua ex parte narrentur. atque eodem planè modo Italica facta quædam deinceps inde Gallica, mox Britannica, continuò alia atque alia subijciantur, indéque ad Græca reccurrat narratio: ita vt partes quoquo modo misceantur, & eodẽ ordine ac tenore absoluantur. nam talis œconomia ferri quidem possit in ijs quæ tripartitam aut quadripartitam rerum seu regionum varietatem habeant, hoc est moderatam; at quæ tam ingenti & regionum & rerum gestarum varietate continentur, quantam Europa verbi gratia offerat, siue Asia, nullo modo. nisi tamen rursus & idem tempus vel potiùs eas dem temporis partes ad nauseam resumere omnes & decurrere instituas, & lectoris mentem memoriámque distrahere & perturbare: aut cursim res attingere vel delibare: vel certè infinita propemodum prætermittere. Denique ne Argo quidem minorem earum rerum partem spectare, aut centimano Briarreo describere concedatur, tantùm abest vt vnus idémq; Historicus & spectare isthæc valeat omnia & litteris consignare. Quod si demum in vnam eandémque narrationem sic ea conijciat vt temporis filo sequuto narret quid primo anno apud Gallos, Hispanos, Italos, Græcos, Pannones, aliásque gentes gestum sit, quid item apud easdem in secundo & ita deinceps, is sanè (vt alia incommoda multa prætercam) facta omninò concisa refert, atque vnum verbi gratia idémque bellum, vnam eandémque Vrbis ædificationem, cum non vno sed multis peracta sint annis; diuulsa ac disiecta narrabit. Id quod in Thucydide apposité coarguit Halicarnasseus, dum in eius historiæ iudicio sic scribit. *Qua in re licet illum iure mirari qui non viderit futurum, vt cum multæ simul res multis in locis gererentur, breuibus quasi segmentis concisa narratio, præclarum illud purumq; lumen capere nequiret: quod ipsis ex rebus perspicuè patet. in tertio enim libro (vt hoc vno exemplo contentus sim) de Myteleneis aggressus*

scri-

scribere, narrationem priùs quàm vniuersam absolueret, ad Lacædemoniorum res gestas diuertit: quibus nondum imposito fine, Platæensium obsidionem commemorat, eamq; mox imperfectā dimittens, Mytilenensis belli mentionem infert. deinde sermonē eò conuertit, vt quemadmodum Corcyræ seditione facta, alij Lacædemonios, alij Athenienses accersiuerint, exponat. neque verò perficit hanc partem; sed omittens inchoatam, de Atheniensium priori expeditione in Siciliā pauca narrat. postea cum Atheniensium in Peloponnesum nauigationem et Lacædemoniorū aduersus Dorienses expeditionem demonstrare esset exorsus, ad quæ ad Leucadem à Demosthene Duce gesta sunt, & ad Aetolorum bellum transmittit: inde Naupactum abit, nec Epiroticis bellis ad exitum perductis, Siciliam rursus attingit: postea qemadmodum Delus expugnaretur, ostendit; Argosq; Amphilochicos ab Ambraciotis oppugnatos relinquit. Quid multis opus est? totus enim liber ita concisus perpetuam historiæ seriem amisit. Sic Halicarnasseus. qui item in responsione ad Cn. Pompeij Epistolam Thucydidem cum Herodoto cōparans, eundem ea planè de causa reprehendit quòd historiæ partes distraxerit, ac distrahendo obscurauerit. *Fit autem* (inquit) *Thucydides obscurus & cuius sententiam difficilè animo comprehendere possis. cum enim multa eadem æstate & hyeme in diuersis (vt fit) locis gererentur, imperfectas primas res gestas relinquens, alias attingit quæ eadem æstate & hyeme gesta fuerunt. erramus igitur, quemadmodum par est, & summa cum difficultate res expositas mente iam turbata assequimur.* Sic iste. Atque idem in Baronij Annalibus, vt ex nostratibus etiam petam exemplū, animaduertere est nō sinè magna ordinis (qui tamē in tam nobili historia atque Ecclesiæ peropportuna perfectissimus erat optandus) ac proinde intelligentiæ & memoriæ offensione & iactura. Quid enim Athanasium verbi gratia hoc anno in medium afferas: tum quadriennio toto de illo sileas, quod alijs rebus multis ac varijs transmittas: inde ad eum redeas, quem rursus dimittas altero quadriennio quo alia narres, ac lectorem quinquaginta integros annos distrahas huc illuc dissipata Athanasij facta commonstrans: id quod eo magis intolerandum videri potest, quòd

hæc rerum veluti dissipatio in eius Annalibus propemodum sit perpetua: ita vt lectorem nunquam ferè non torqueat. dum enim decem verbi causa Ecclesiastica eodem more ac modo persequitur facta, ac tantam rerum varietatem ijsdem fermè dissociat interuallis, atque huc illuc per partes tanquam dissеminat, lector perpetuò fluctuet necesse est. Neque mihi obijciat quispiam Annalium rationem seu conditionem haud aliter ferre, cum nisi hac partium distractione & œconomia longiora facta ad Annales singula redigi minimè possint. Nam Annales (vt verè fatear) factis vnius Vrbis aut ad summum Regni, iisque nudis, quaéque breuissimè notentur destinati sunt: ac summatim rebus gestis & vnis euentibus qui sit in annos conferri possint vt percipi queant & intelligentiæ seruiant: non vt infinita propemodum rerum gestarum moles ac varietas illis concludatur: tantùm abest vt Annales, quique ijs perstringuntur euentus, consilijs, causis ac disceptationibus gaudeant. præsertim verò si has ex Theologorum spatijs, Imperij & gentium factis, ac summatim extrinsecùs vndecunque arripias & congeras. Itaque prouidendum illi erat diligenter vt vel materiam Annalibus conuenientem seligeret quàm breuiter summatímque & vno verbo Annalium more pertractaret, vel tantam rerum varietatem alio scribendi genere complecteretur, ac fermè per genera dispertitis rebus quas singulas suis absolueret locis totas. certè Diodorus grauissimis nos admonuit verbis vt istiusmodi scopulũ declinaremus. *In omni* (inquit) *rerum gestarum narratione illud scribentis videtur esse officium vt libris singulis Ciuitatum aut Regnorum facta integra ab initio ad finem vsque comprehendat: quod ita præcipuè narratæ res fideliori memoria retineantur & aptiores fiant ad cognoscendum. Quæ enim interrupta finem principio continuum non habent, ea intentionem & studium legentium abrumpunt.* Itaque acutè etiam Aristoteles in Problematis monebat vnius actionis historiam esse iucundiorem, quòd actionibus multis distraheretur lector; vnà & memoriæ & intelligentiæ consuleretur. quapropter si in historiam incidisset quæ tantam rerum varietatem permisceret, lectorémque per-

petuò

petuò distraheret, malè iucunditati, multò verò minùs intelligentiæ & memoriæ, consultum obseruasset. Ita demum certum tempus certis quoque personis, actionibus, regionibus præfiniendum nihil est quod dubitemus. Quod si Aristoteles vnum historico dum præfiniret tempus, non illud addidit, tempus item vnum certis personis, actionibus, regionibus concludendum, id accidit partim quia aliud agebat, ac tantùm Epicam narrationem ab historica distinguebat, partim quia de consuetis loquebatur historijs (nam ad consuetas prouocat) in quibus certum tempus ab historicis ipsis, personis, actionibus, regionibus conclusum fuerat. & ideò ex Herodoto duxit exempla, qui quod sibi præfinierat historiæ scribendæ tempus, id aptis personarũ actionum, regionum limitibus sepsit. idem vtcunque Thucydides & qui ante Aristotelem apud Græcos scripserunt historias. quapropter, mea quidem sententia longiùs præstat angustioribus finibus coërcere historiam vt eam obire possis cum dignitate, ac temporis filo sequuto sine vlla memoriæ aut intelligentiæ offensione perficere, quàm amplissimo temporum, personarum, actionum, regionum campo constituto facta vel dissipare vel delibare. Sed quoniam veritatis ratio maximè habenda est, atque adeò veritati vnicè seruiendum, illud quoque in legis loco habeat historicus. VT NE TEMERE ET VNDECVNQVE HAVRIAT: SED eos rerum seu cognitionis gradus quos superiore libro proposuimus spectet consectetúrque perpetuò. ita scilicet vt ea quibus interfuerit, quaéque peruiderit tractaueritve, cæteris anteponat. Tum publicos Annales & consimilia monumenta in secundis ponat amplectatúrque non inuitus. Inde laudatos testes audiat & sectetur. Proximè non obscuram famam admittat. Ad extremum veritati indagandæ coniecturas quoque adhibeat: quas sanè cum aliunde pro sua industria ac solertia ducat, tum maximè ex iconibus, lapidibus, picturis quæ vetustatem referant, & rerum gestarum notas contineant ac symbola. Et huc etiam contulerit priscorum thermas, pontes, mœnia, publica ædificia, ruinas ipsas spectasse: etsi percautè ad coniecturas inde iudiciúmque descen-

X. LEX. Narrationem varijs cognitionis gradibus distinguẽdam.

ſcendendum. quod ſi priſcorum item bellicas machinas atque arma, inſignia, veſtes & id genus alia obſeruet, interdũ hinc quoque coniectare aliquid liceat non temerè. Illud tamen interim cauebit diligenter, vt quoniam propoſiti cognitionis gradus veritati non æquè ſeruiunt, eorum quæ narrantur vim ac momenta indicet oratio ita ſcilicet vt intelligere liceat quid compertum ſit habendum in certíſve ponendum: quid ferè conſtans, quid veriſimile, quid ſubobſcurum. Quanquam eò ſemper ſtudium ac laborem referat hiſtoricus vt rarò ac minimùm in coniecturis ac fama nitatur. itaque præſtabit in ijs (ſi fieri poſſit) vrbibus degere ac regionibus vbi res geſtæ peragantur atque oculis longiùs quàm auribus fidere. Quòd ſi res vetuſtæ ſcribendæ ſint, tabularia ſcrutabitur accuratè: quaéque ſiue in ſacris ſiue in profanis ædibus deprehenderit vetuſta aut publica monumenta ſpectabit peruolutabítve diligenter. quin etiam quæ iſthinc hauſerit ſic tranſmittat poſteris, vt vnde acceperit indicet. ita demum cum fidei tutiùs conſulet, tum legenti, quamuis curioſiſſimo, ſatisfaciet. Dum verò hoc tenore atque his cautionibus res geſtas perſequaris, omninò memineris (atque hinc aliæ tibi leges exiſtent) VT CAVSAS ET CONSILIA RERVM PRÆSERTIM GRAVISSIMARVM, QVO AD EIVS FIERI POSSIT EXPONAS: ídque (ne longum faciam) perinde atque in primo libro admonuimus. nam ſinè dubio fidem mirificè conciliant, & ad cognitionem ac prudentiam conferunt non mediocriter. Denique, etſi non ij ſumus qui exiſtimemus hiſtoriam, niſi rerum geſtarum cauſæ narrentur & conſilia, explodendam eſſe aut conſiſtere nullo modo poſſe; quin arbitramur nuda actorum & euentuum narratione conſtare poſſe; ſi tamen conſilia acceſſerint & cauſę, ſinè dubio abſolutior erit atque perfectior. Quanquam cauendum erit diligenter ne dum vberiorem haberi ſentis hiſtoriam atque omnibus abſolutam numeris cum cauſæ quoque & conſilia fuerint expoſita, ipſe vulgares cauſas ac leues (quòd nimirum certæ & graues occultæ ſint) arripias & ſecteris: quaſi verendum ſit ne cauſis conſiliíſque poſthabitis, quandam veluti labem hiſtoria contrahat. ſatius

XI. LEX. Cauſas & conſilia non eſſe deſpicienda.

tius

tius enim eſt cauſas omninò reticere, aut etiam fateri in ob-
ſcuro poſitas eſſe quàm leuem & inconſtantem ſectari fa-
mam, aut etiam (quod multi faciunt) adumbratas quáſque
ipſe veriſimili ratione excogitaueris, fictas cauſas pro veris
ſupponere ac venditare. Idem dixerim De Vituperatione
ac laude: quas ſanè grauioribus factis, quaéque cum virtute
aut vitio coniuncta ſint, præſtat adhibere; ſed hiſtorico mo-
re non Oratorio. de qua re eſt quòd ea item conſulas quæ in
ſuperiore libro ſcripſimus quanquam non committam vt
aptum Luciani hac de re præceptum prætercam ætatis ſuæ
hiſtoricos perſtringentis. *Plerique ipſorum* (inquit ipſe) *eo ne-
glecto vt rem ipſam perinde ac geſta eſt enarrent, in laudibus
Imperatorum & ducum immorantur, ſuos quidem in cœlum
extollentes, contra verò hoſtes vltra modum deprimentes: igna-
ri videlicet hiſtoriam & encomium non peranguſto aliquo diui-
ſam Iſthmo, ſed magno quodam muro* δὶς διὰ πασῶν *hoc eſt
bis per omnes chordas, quod dici ſolet, inter ſe diſtare. Siqui-
dem ille qui encomium ſcribit, hoc vnum ſpectat, vt quibuſcun-
que modis poſſit, eum quem laudandum ſuſcepit extollat atque
oblectet. etiamſi per mendacium forte id conſequatur quò ten-
dit, parum id curat. At contra hiſtoria nihil falſum inſeri ſibi,
ne pauxillum quidem permittit, non magis quàm arteriam di-
cunt Medicorum pueri, eam quæ trachea ſiue aſpera vocatur,
quicquam potus aut cibi in ſe recipere*, Sic iſte. Itaque non
poſſum non magnopere admirari quid Iouiano Pontano in
mentem venerit vt in hiſtoria orationis vela explicari iuſſe-
rit ac pandi, ídque vt Hiſtoricus alienos permiſceat animos
ac res amplificet extenuétque pro opportunitate: denique ita
Eloquentiæ neruos intendendos vt vel ex hoc humani ſer-
monis excellentia intelligatur. *Cum homini* (inquit iſte)
*à Natura data ſit oratio magna cum excellentia animalium cæ-
terorum, ipſorumque hominum inter ipſos, ſitque orationis pro-
pria vis mouere animos, & quò velit flectere, nuncque pro re
ac loco à metu trahat ad fiduciam, à dolore ad lætitiam, ab otio
ac mollitie ad laborem; eademque fugientes retineat, irruentes
impellat, dubitantes confirmet, huius eſſe memor rerum geſta-
rum ſcriptor cum primis debet*. Sic iſte. qui ſanè Hiſtorici &

XII. LEX. Laus & vituperatio quibus & quatenus adhibenda.

Oratoris

Oratoris discrimen vel non vidit, vel si vidit, ingenium interim ostentare voluit. Et quidem dum passim docet Historiam aliud nihil esse nisi Poësim solutam metris, atque huic rei (si Deo placet) ostendendæ suam de Historia disputationem refert totam, satis constat ingenium per intemperantiam jactare voluisse, vt minimè mirum sit conciones quoque, ac rectas inprimis, tantopere extulisse, tametsi interim fateatur, sed quid dico fateatur? imò verò iubeat, fingi ab Historico, dummodo enim ea proferantur quæ verisimilia videri possint, veritatis vix ac ne vix quidem rationem habet. *Quoties res tulerit* (inquit rursus) *Imperatores ipsos inducet nunc confirmantes suos in periculis, nunc excitantes illos ad ea obeunda, aliàs exhortantes, aliàs obiurgantes, & modò præmia proponentes, modò admonentes infamiæ, turpitudinis, seruitutis, mortis. Videntur enim eiusmodi allocutiones quæ nunc ad multos, nunc ad singulos habentur, decorare historiam, & quasi animare eam. In quibus quoties res ipsa tulerit, neruos orationis atque ingenij sui ostendet rerum scriptor. Nec solùm quæ dicta fuisse referuntur ab Imperatoribus, verum etiam ea afferet quæ verisimilia, quæque dicenda tempus, periculum, reique ipsius natura postulare videatur. Vteturque in increpando acrimonia, in excitando vehementia, in sedando lenitate, in impellendo contentione, in extollendis rebus proprijs & aduersarij deprimendis magnitudine ac linguæ suæ acie rerum ipsarum qualitates ac ducum maximè personas sequutus. Magnificant autem historiam conciones potissimum, rectæ illæ quidem, vbi Imperatores ipsi & loqui & agere introducuntur. vt quasi geri res videatur.* sic rursus iste. qui sanè si illud reputasset, historiam Poëma metris solutum similitudine quadam dici quòd in quibusdam conueniant, in multis verò toto distare cœlo & è regione pugnare, idque in ijs maximè in quibus Poëmatis aut Historiæ vis & natura posita est, non tam facilè isthinc veluti ansam arripuisset ostentandi ingenij. Qua in re eo magis demiror eius consilium & factum, quòd cum semel, iterum, ac tertiò profiteatur se de historia scribere quæ ad eum vsque diem authorem nullum habuisset qui de ea præcepisset aut monuisset quidquam, in progressu tamen dum

dum eam examinat, cum ea partim ſequitur quæ de hiſtoria ſcripſerat M. Tullius, tum quædam ex Luciani libro arripit quibus vtatur pro ſuis. Vt propterea Halicarnaſſeum Dionyſium aut Polybium hac de re præcipientes nõ vidiſſe, turpe; à nemine verò hac de re ſcriptum aſſeueranter affirmaſſe, turpiſſimum videri poſſit. Sed ad penſum. Statuamus itaque in laude ac vituperatione cautè verſandum hiſtorico: ſimúlque illi prouidendum vt perfectò ſimilem ſpeculo & animũ gerat & ſtylum; ita vt quales ſpectando exceperit formas, tales narrando reddat. Quanquam illud etiam reputandum eſt cautè; aliud eſſe inter narrandum laudare & vituperare, aliud alienas virtutes & vitia commemorare illud moderatione faciendũ, ita vt dum facta accuratè narras, obiter ac veluti per tranſennam (ſed grauiter tamen) vitia ſugilles, virtutes laudes. hoc data opera & pro dignitate, etſi modo prolixè & copioſè, modò anguſtè ac breuiter, prout ſcilicet res tulerit, faciendum. qui enim alterius virtutes ac vitia ſeu mores deſcribit, non vituperationem aut laudationem texit: ſed res geſtas fermè narrat, quas prout ſeſe offerunt commemorare neceſſe eſt. Quapropter haud multum fuiſſe dixerim aut Salluſtium aut Liuium dum hic Annibalis (lubet enim rem illuſtrare exemplis) ille Iugurthæ & vitia & virtutes deſcriberet. *Nunquam ingenium idem* (de Annibale inquit Liuius) *ad res diuerſiſſimas parendum atque imperandum habilius fuit. Itaque haud facilè diſcerneres, utrum Imperatori aut exercitui carior eſſet, neque Aſdrubal alium quenquam præficere mallet, ubi quid fortiter ac ſtrenuè gerendum eſſet, neque milites alio duce plus confidere aut audere: plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilij inter ipſa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari aut animus uinci poterat, caloris, ac frigoris patentia par, cibi potionisque deſiderio naturali non uoluptate modus finitus, uigiliarumque ſomnique nec die nec nocte diſcriminata tempora. Id quod gerendis rebus ſupereßet quieti, datum, ea neque molli ſtrato neque ſilentio arceſſita, multi ſæpè militari ſagulo opertum humi iacentem intra cuſtodias ſtationeſque militum conſpexerunt. veſtitus nihil intra æquales excellẽs, arma atque equi conſpiciebantur. Equitum peditumque idem*

longè priùs erat, princeps in prælium ibat, vltimus confecto prælio excedebat. has tantas virtutes ingentia vitia æquabant; inhumana crudelitas, perfidia plùs quàm Punica, nihil veri, nihil sancti nullum Deûm metus, nullus iusiurandum, nulla religio. hæc Liuius non tam vt Annibalem laudaret vituperarétue, quàm vt eius mores describeret. Sallustius verò. *Vbi primùm* (inquit) *adoleuit Iugurtha, pollens viribus, decora facie, sed multò maximè ingenio valido; non se luxui neque inertiæ corrumpendum dedit, sed, vti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare, & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad hæc pleraque tempora uenando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurimum facere, minimum ipse de se loqui.* Et alibi. *Nam Iugurtha, ut erat inpigro atque acri ingenio, ubi naturam Publij Scipionis qui tum Romanis Imperator erat, & morem hostium cognouit, multo labore multaque cura, præterea modestissimè parendo & sæpè obuiam eundo periculis, in tantam claritudinem breui peruenerat, uti nostris uehementer carus, Numantinis maximo terrori esset, ac sanè quod difficillimum inprimis est, & prælio strenuus erat & bonus consilio. quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerunque solet. Igitur Imperator omnes ferè res asperas per Iugurtham agere, & in amicis habere, magis magisque eum indies amplecti, quippe cuius neque consilium neque incœptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi & ingenij solertia.* Hæc Sallustius vt virtutes Iugurthæ ac mores describat, non vt laudationem instituat. At enim Thucydides cũ alios tum Themistoclem ac Periclem luculentis laudationibus ornauit: Liuius quoque inter cæteros P. Sempronium & Cn. Pompeiũ sic celebrauit vt nullum siue animi, siue corporis, siue fortunæ ornamentum & bonum prætermiserit quo non eos cumulauerit. quid tu igitur tam parcè laudationem institui, aut cur veluti per transennam vel ad summum ad vnos mores declarandos, laudes attingi iubes? Ego verò sic sentio vel isti veritati candidè seruierunt (quo tempore non Oratores sed Historici habendi sunt: non enim vt Eloquentiam ostentarent, sed vt id quod est verè ac syncerè narrarent, ac virorum illo-

rum

rum vitam & mores posterorum memoriæ transmitterent dicendi essent eas aperuisse virtutes ac laudes) vel amplificationibus vsi sunt, oratorio more illorum facta virtutésque augentes; ac verisimilium quoque vsu celebrantes; atque hoc pacto ab historici curriculo in Oratorum palestrã prosilijssent Eloquentiam ostentaturi: quod sanè nisi veritatis studium contemnendum Historico sentias, iusta reprehensione haud carere potest. hæc pro hac lege. Sed & locorum ac Regionum descriptiones vbi opus fuerit interponet. nam ea planè de causa Topographiæ, ac Chorographiæ, quin etiamt Geographiæ totius atque adeò Cosmographiæ peritum illum effinximus, vt pro opportunitate suis quæque descriptionibus boni de more Historici ferè ante oculos ponat. Qua tamen in re cauendum est vt quemadmodum præstat his vti adiumentis ad obscuritatem pellendam, quæ fortè ex vrbium, locorum, regionúmque ignoratione in narrationem obreperet, ita ne temerè eis vtamur, hoc est citra necessitatem vsúmque vllum, ac proinde alieno loco & inopportunè: vel si opportunè, haud vagemur tamen latiùs quàm par est ac per intemperantiam, & ad peritiam ostentandam. Itaque dum Cæsar à tripartita Galliæ diuisione orditur ac nobili regionem amplissimam eiúsque incolas describit industria, nemo non videt quàm appositè id faciat ac scitè, cum in ea tandiu versandum esset, ac nihil opportuniùs accideret quàm eorum cognitio locorum. Idem de Sallustio dixerim dum in bello Iugurtino Capsam oppidum describit. *Erat* (inquit) *inter ingentes solitudines oppidum magnum, atque ualens nomine capsa cuius conditor Hercules Libys memorabatur. eius ciues apud Iugurtham immunes, leui Imperio, & ob ea fidelissimi habebantur: muniti aduersum hostes non mœnibus modò & armis atque uiris, uerùm etiam multò magis locorum asperitate. Nam præter oppido propinqua, alia omnia uasta, inculta, egentia aquæ infesta serpentibus, quarum uis sicuti omnium inopia cibi acrior. Ad hoc natura serpentium ipsa perniciosa, siti magis quàm alia re accenditur.* sic Sallustius, & appositè. nam cum statim huiusmodi oppidum oppugnaturus esset Marius, non ab re fuit loci, gentis,

XIII. LEX. Locorum ac regionum descriptioues, vbi opus sit, interponat accuratè.

conditoris ipsius, quoniam hæc paucis absoluuntur omnia, mentionē fecisse. Eodémque modo & Vrbes & regiones multas apposité describit Liuius vt perspicuitati rerū ac legentis intelligentiæ prospiciat. id enim locus postulabat ac tempus. Contra verò dū ex recentioribus quidā non ignobilis Historicus Venetias aut Parisios describit, & accuratissimè ac graphicè ante oculos ponit, eò infœlix videri debet, quòd reuera necessitate aut opportunitate nulla id facit, sed ingenij ostentandi gratia. *Venetiarum* (inquit) *Vrbis in recessu intimo sinus Adriatici, ea regio ac situs est, vt leniter stagnātes ex alto aquæ illā ex omni parte circumluant. ea inclytæ vrbi & ad merces copiasque inuehendas opportuna receptacula, & contra hostiles incursus munimenta firmissima sunt. Ex ijs porrò æstuarijs maiores minoresque euripi totam vrbem intercursantes varijs mæandris ac flexibus ita distinguunt, vt quot in partes pedibus, in totidem ferè mari aditus sit; egregio sanè vel Artis vel Naturæ miraculo Inde vicorum, insularum ac pontium ingens numerus, vt qui diutiùs ibi versati non sunt, viarum, locorūque modò varietate, modò similitudine, sæpè fallantur. Sed cōtra eiusmodi ambages certum paratumque remedium est maxima multitudo cymbarum quæ vsquequaque dispersæ nominatim ad omnia & publica & priuata loca quēlibet haud ita magna mercede traijciant.* Sic iste: ac bellulè quidem & eleganter. sed quorsum, cum nec quæ dixerat ea indigerent descriptione (tātùm enim Ignatium proposuerat Patauio Venetias sinè sanitatis tessera commeātem) multò verò minùs quæ sequuntur, cum pergat *Ignatius naui Patauina, ex ijs quæ per Medoacum flumen assiduè commeant, in area Marciana sub noctem expositus, cum neque vias ad publica xenodochia nosset, nec portitori conducendo suppeterent nummi; aßuetus longo iam vsu malè cubare sub porticu Procuratoria, quam appellant, intendentibus iam se tenebris uacuum opificis cuiusdam fulcrum elegit, in quo fessos artus utcunque reficeret?* Idem de Parisijs quos accuratè item describit, cum tamen alia subsit causa nulla, nisi quod Ignatius à Gymnasijs abesset longiùs. quasi verò Topographia tam inaniter ostendenda sit: nec satis supérque esset admonere domicilij distantiam: quæ magna esset, impedimento

mento fuiſſe ne commodè poſſet ad doctrinas incumbere. ſic ſanè præterquam quod Poëticè & iuueniliter exultat oratio, locus certè nō erat cur huc Topographiæ referret induſtriā, à qua ingenij ac ſolertiæ oſtentatio abeſſe debet. Igitur rectè Lucianus, qui, *Maximè* (inquit) *temperantia quædam adhibenda eſt in deſcriptionibus montium aut murorum aut fluuiorum, vt ne vim ac poteſtatem verborum ineptè ac præter rem oſtentare velle videaris, tuumque ipſius negocium agere hiſtoria omiſſa, ſed modicè adhibitis illis vtilitatis & perſpicuitatis tantùm gratia.* Neque verò diſſimilem induſtriam adhibebit perſonis deſignandis quibus ſigillatim vtendum ſit in hiſtoria: idque præſertim vt eorum qui primarias obeant partes, aut etiam, quamuis ex primarijs nō ſint, ab hiſtoriç quaſi Theatro haud ſtatim ſint dimittendi, nomina conditionéſque quo ad eius fieri poſſit exprimas, & à quibus ſtent ſi bellum aut quid huiuſmodi geratur perſpicuè moneas. Cum enim hinc inde (vt fit) virorum nomina & multa & varia proferantur paſſim, mirum eſt quantopere deinde in rebus ipſis hæſitetur, niſi eorum officia & ſtudia, inprimis verò quam ſectetur partem dilucidè indicetur: in progreſſu etiam, ſi de ijs ſilueris diu, talium notitia hominum vno ſaltem aut altero verbo inſtauranda ſit ſi illorū mentio atque opera iterum ſit vſurpanda. quid enim obfuerit aut cur non multùm profuerit ſi Gygem verbi gratia aut Clitum alicui rei adhibiturus, non eorum modò vſurpes nomina, verùm etiam illum Candaulis Lydorum Regis intimum adminiſtrum ac ſatellitem, alterum Alexandri Macedonis familiariſſimum, à quo etiam ſeruatus eſt, appelles, & vt lectori magis adhuc magiſque conſulas, poſt intermiſſam diu huius aut illius mentionem, iteratò eos conſimili deſcribas induſtria ſi ad hiſtoriæ ſcenam ſint reuocandi? Præſertim verò ſi ambiguitate nominis errori aditus pateat. Certè Arrianus (vt res exēplo aliquo illuſtretur) cum duo illi occurrerent Cliti, certis parentū nominibus, tanquam notis eos diſtinguendos putauit. etſi enim attentiùs reputanti Alexandri hoſtis vnus, familiaris alter apparere poſſit, faciendū tamen putauit ne hæreret quiſquā. atque hinc eſt vt apud Polybiū & alios in Philippis Macedo-

XIV. LEX. Perſonę quādo & qua deſcribendæ ſint induſtria.

num Regibus,in Mithridatibus,Catonibus,Scipionibus,ac multis alijs hærere possis. vt propterea satius sit Amintæ vnũ, verbi gratia, Demetrij alterũ, maiorem illum, hunc minorẽ appellare, ac summatim certa quenque ratione aut nota efferre Neque verò eo cõsilio dixerim personas præsertim primarias esse describendas,quasi verò operosè ac tanquã de facie exprimendæ sint. neque enim huc facilè descendendum, nisi fortè ad mores atque indolem designandam aut corporis decus & dignitatem, interdum etiam fortunæ commutationem planiùs declarandam id præstet attingere: quod Plutarchum atque alios Historicos nobiles in Alcibiade, Alexandro, Pompeio, atque huiusmodi alijs factitasse compertum est. Itaque Poëtica ostentatio arcenda est longiùs, ne tam Pictorum ac Poëtarum industriam imitari, vno verbo, ludere, quàm grauis Historici prudentiam æmulari ac seriò agere videamur. certè is quem paulò ante ex laudatis historicis recentioribus proferebam Maffeius dum Ignatij maciem squalorémque describit verbis illis, *Ignatium verò ex ipso corporis habitu vel in summa cœli temperie metuisses. Obsita erat squalore vestis, & horrida; color exanguis, cauum macie caput, conditi introrsum oculi, & inanes faucium sinus. quocirca fiebat non solùm vt exclusus à diuersorijs omnibus pernoctare sæpè cogeretur in publico, sed etiam ut pallore & macie peremptum rigentemque prætereuntes aliquando nonnulli ceu monstrum quoddam aut triste simulacrum horrerent*, tali tantáque solertia Poëtam agit veriùs quàm Historicum. Interim tamen è contrario cauendum erit nè ad gregarios quoque milites aut humiles personas describendas (nisi tamen id locus omninò postulet ac ratio) descendamus: sed hoc totum Poëtarum siue licentiæ siue industriæ relinquamus. Videas enim Poëtarum parentem Homerum in prælijs sic descendere ad singulos vt quos Agamenon, Idomeneus, Menelaus priuatos fermè Troianorum milites interfecerint commemoret.

Sternit Halizonum ductorem gentis, adacto
In pectus mucrone, Odium, qua parte supremum
Coniunctum est humero. terram quatit ille cadendo

Ingen-

Ingenti armorum sonitu, iacuitque supinus.
Occupat Idomeneus Phæstum patre Mæone Boro
Progenitum, terra qui fertilis vbere Tharnæ
Venerat. hunc stantem curru, frenosque tenentem
Lyctius Idomeneus oblonga percutit hasta,
Qua dextro est humero coniunctum pectus, at illum
Semianimem curru nox occupat atra cadentem,
Quem socij Idomenei spoliarunt fortibus armis.
At Strophio natum genitore Scamandrion, altis
Assuetum syluis iuuenem, Latonia virgo
Quem docuit captare feras & figere telis,
Assequitur prendens telo Menelaus acuto.
Sed neque tunc misero pharetris armata Diana
Profuit, aut longe iaculantes tela sagittæ
Quominus Atridæ uiolenta occumberet hasta.
Vulnus enim accepit fugiens in terga, sub alto
Fixum humero, medio extabat de pectore ferrum,
Ingentem sonitum super arma dedere cadentem.

Qnin Meges rursus (priuatus fermè miles) aut Eurypilus, priuatum militem sic interficit vt singnlorum nomina, patriam, studia, non secus ac vtrinque in summos duces incidisset, vsurpet.

Pedæum rapit inde Meges Antenore natum,
Sed dubia de matre nothum, quem diua Theano
Nutrijt, & proprijs (hoc gratificata parenti)
Aequauit natis: quem tunc & in agmine uerso
Consequitur, longaque premens transuerberat hasta
Phylides], qua ceruicis coit ultima summæ
Vertebra, ferri acies sub lingua gutture fracto
Transijt, & ualidos perfregit acumine dentes.
Ille cadens fœda iacuit porrectus arena
Dentibus & ferrum moriens hostile momordit.
Eurypilus post hos, Euæmonis inclyta proles,
Insignem sternit multis Hypsenora factis,
Magnanimo genitum Dolopionæ, templa sacerdos
Qui tenuit liquidi commissaque sacra scamandri,
Non secus ac Deus in populo reuerenter amatus.

Hunc Euæmonides fugientem præpete cursu
Consequitur gladioque ferit; simul amputat ipsi
Magna humeri cum parte manum: cadit ille putremque
Sanguine fœdat humum: simul ambos lurida claudit
Mors oculos, durique premit vis vltima fati.

Sic Homerus: quem, etsi in ijs alíjsque multis vagantem latiùs, Poëtis reliquis imitandum relinquo: Historicis cérte qui nō delectationi tantopere student, hæc luxuries orationis breui stylo depascenda est. Atque huc & modus & instrumenta (vt de consilijs nihil dicam) & œconomia vniuersa pertinebunt quibus quæ commemoratæ fuerint personæ graue aliquod facinus peregerint: debet enim aperiri quibus quisque adiumentis id obierit factum cuius causa introducitur: alioquin enim ieiuna & exilis euadat oratio; tum industrius lector requirat multa vnde expleatur animus ac peritior fiat rerum. Id quod tunc inprimis faciendum est accuratè, & diligenter cum quis non vsitato more ac modo, nec ordinarijs & cognitis instrumentis aut machinationibus rem peragit, sed inusitatis ac nouis. Quapropter qui hoc tempore egregiam describeret operam quam in hostium vel nauibus vel equitatu & peditatu vel castrametatione aut tormentis apparatúque dignoscendis suo Duci nauasset aliquis noui conspicilij vsu, præstaret sanè huiusmodi conspicilij & formam & vsum ac vim admirabilem, originem etiam si placet, atque authorem cōmemorare. Idem dixerim si quis stratagemate nobili, aut hostem superasset, fefellissétve, aut egregiū aliquod facinus obijsset. Porrò autem in viribus quoque ac facultatibus summaímque in rerū momentis æstimandis commemorandísque sit diligens, itaque si bellicæ res tractentur, apparatus vtrinque describantur ac vires. ita vt de peditatu constet & equitatu, de classe si adsit, comeatu, machinis atque tormentis. fœdera etiam & amicitiæ, castella, & munitiones, pecuniarum vis, armorum ac dimicandi genus, castrametationis migrationísve ratio, loca, opportnnitates, spes, metus, etsi quid huiusmodi, prout res tulerit aperiatur. Eodem modo si ad pacis studia, Vrbésque aut Respublicas res gestæ attineant, antiquitatis Vrbium, aut Reipublicæ, legum,

XV. LEX. Modus & adiumenta quibus res gestæ sunt, præsertim graues, cō memoranda esse.

XVI. LEX. Apparatus quoque & id genus alia plurima diligēter percensenda.

gum, artium, morũ, mercaturæ, comercij, studiorùmque om-
nium ciuilium, agri, clementiæ cœli, opportunitatúmque &
incommodorum pro re nata habeatur ratio. Sed quia lon-
gum esset ad omnia lubet cursim pergere & aceruatim. Igi-
tur belli quoque denunciationes exponantur, quæque legati
caduceatorésve mandata acceperint vel exposuerint: quibus
responsa adijciantur & aduersariorum affectus ac sensa de-
clarentur: delectus quoque militum, egressionésque, excur-
siones, agrorum depopulationes, obsidiones vrbium, dedi-
tiones, expugnationésve, prælia, cedes, fugæ, spolia, ac prędæ.
nec silendum de captiuis eorúmque permutationibus trans-
fugis & repentina rerum vicissitudine. explorationes etiam
inserendæ sunt, militum discordiæ si quæ interuenerint, con-
ciones (si quas tamẽ verè habitas constet) ~~si quas fortè (quod
vtinam aliquando eueniat)~~ verè ~~habitas constet~~; proditiones,
intestinæ quoque dissensiones, seditionésque commemoran-
dæ, temeritas ducum, audacia, militúmque seu virtus seu de-
sidia & ignauia indicanda; & quid vel prudentiæ, vel teme
ritati, vel casui sit tribuendum: nec insidiæ interim, fraudes,
prodigia si quæ eueniunt non suo quæque loco inserenda
sunt & explicanda; admirabiles item euentus, lætitiæ, me-
tus, spes, timor, rumores, gentium optata, & expectationes
cõmemoranda: nec prætereunda tempestatum, famis si quæ
acciderit, pestilentiæ, æstus, frigoris, pluuiarum vis & in-
commoda, eodémque modo si summorum virorum ac du-
cum vita, aut vrbiũ ædificationes, ortúsque regnorum & in-
crementa, populorùmque migrationes narrandæ sint, earun-
dem vrbium vires instituta, pacis denique ac belli artes, re-
rúmque huiusmodi progressiones & incrementa aperian-
tur dilucidè. Atque hæc ad res gestas. Quibus tamen ad-
dendum est Historico magnopere studendum vt conuenien
ti ordine disponãtur singula, ita vt causæ & consilia ac sum-
matim primordia rerum gestarum antegrediantur: tum acta
varia & euentus ex ordine cõsequantur, ac tempori quæque
respondeant suo. quibus omnibus descriptiones & id genus
etiã, de quibus diximus, suis quoque locis inserenda sunt. Ita
demum efficietur vt cohærentem illam & quasi naturalem

XVII. LEX.
Alia multa perstringũtur cursim quæ narranda sunt.

XVII. LEX.
De ordine, & dispositione.

rerum

rerum gestarum seriem imitetur narratio, atque optima proinde collocatione rerũ ac dispositione constet historia. Quod si diligenter propositũ ordinem tueatur historicus, ac res ex præscripta ratione disponat profectò vix ac ne vix quidé erit cur (id quod aliqui faciunt) digrediatur. certè Polybius hoc mihi minùs probatur quod liberiores ac fusiores siue de historiæ legibus siue de militari ac ciuili prudentia interponat digressiones: ad reliquos etiam historicos insimulandos diuertat facilè. Vt enim Diodorum, Plutarchum, atque huiusmodi alios æquo animo sustineo, quin toto pectore amplector, quòd interdum pro re nata breuiter aliquid interponant, vnde tum historica tum ciuilia præcepta aut etiam vitia dignoscantur, ita eos in ipso historiæ cursu ægrè admodum excipio qui tam facilè ac prolixè digrediuntur. certè Halicarnasseus qui totam hanc præceptorum rationem callebat egregiè, moderatè omninò ijs historiam respersit suam &, ad opportuniores illa disputationes quibus hæc sigillatim deinde summa cum laude prosequitur, reiecit ac reseruauit. Sic sanè quemadmodum à digressionibus temperauit in sua historia (quæ enim habet dum interdum res aut orditur altiùs, aut longè latéque prosequitur, ea pertinere ad digressiones haud concedimus) sic alibi Theopompum, quem alioquin in multis celebrat, hoc nomine insimulare non dubitauit.

XIX. LEX. A digressionibus temperandum, & quo pacto.

Digressiones igitur, præsertim longiores, valere iubeat Historicus: ac præcepta, quæcunque illa sint, rerûmque naturalium explicationes, Philosophis atque humanarum artiũ magistris relinquat. quin suum ille iudicium ac sententiam in rebus gestis nisi paucis non interponat. Nam qui Historicum digredi omnino existimant ac fines transilire suos cum suam sententiam in aliqua re, præsertim graui, etsi breuiter exprimit, ij mihi aberrare videntur longiùs. Etenim quemadmodum apposité ac pro munere virtutes probantur ab historico & commendantur (id nos docuimus copiosè) vitia improbantur atque damnantur, ita quæ minùs prudenter aut diligenter gesta sint, vel etiam commodè scientérque administrata, notentur ac dijudicentur pro munere. quapropter si quis per imprudentiam castrametatus sit aut pugna-

uerit iniquo loco, aut cum desperato hoste quem fame & obsidione opprimere posset, decertarit; aut Reipublicæ formã alieno tempore immutauerit; pacem togatus afflictisque rebus composuerit quam armatus & secundis rebus non sinè questu posset constituere, in his atque huiusmodi alijs (si me audias) breuiter iudicium interponere Historici est. ita enim fit vt quemadmodum vituperatione & laude à vitijs ad virtutem reuocamur, ita earum rerum notatione atque iudicio ad cautionem & prudentiam instituamur. Itaque egregiè, vt solet, M. Tullius cum Lucceium de ratione admoneret qua texenda esset Historia, *Poteris* (aiebat) *vti ciuilium commutationum scientia, uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum, cum & reprehendes ea quæ uituperanda duces; & quæ placebunt exponendis rationibus comprobabis.* Quibus verbis cum vituperatione & laude tum remedijs incommodorum ciuilíque prudentia aliquando vtendum, quod est iudicium adhibendum, admonet historicum. Id quod in II. etiam de Oratore non obscurè significauit cùm diceret, tum rerum gestarum consilia, tum de consilijs quid Scriptor probet, significari oportere. Quapropter tantùm abest vt Thucydides, Halicarnasseus, Plutarchus, Tacitus hac in re sint reprehendendi, vt, dum breuiter in re non leui iudicium interponunt suum, boni historici muneri satisfecisse dicendi sint. dum enim id ea moderatione peragunt vt non prolixè (quod Polybius sæpè facit) & tanquam de tripode (id enim eorum est qui de rebus militaribus ac ciuilibus disputãt de industria, quemadmodum accuratas laudationes aut vituperationes texere est Oratoris) sinè dubio laudem merentur suam. Itaque; vt rem exemplis illustrem; dum Cæsar verbis illis, *Pompeius suis prædixerat ut Cæsaris impetum exciperent, neve se loco mouerent; aciemque eius distrahi paterentur: idque admonitu C. Triarij fecisse dicebatur; ut primus excursus uis que militum infringeretur: aciesque distenderetur: atque, suis ordinibus dispositi, dispersos adorirentur; leuiusque casura pila sperabat, in loco retentis militibus, quàm si ipsi immissis telis occurrissent. simul fore, vt, duplicato cursu, Cæsaris milites exanimarentur & lassi-*

& lassitudine conficerentur, Pompeij factum boni de more historici perspicuè ac fideliter refert. tum pergens, *Quod nobis quidem nulla ratione factum à Pompeio videtur: propterea quòd est quædam animi incitatio atque alacritas, naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur. hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. neque frustra antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorem que vniuersi tollerent. quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt*, docet militarem Pompeij prudentiam esse requirendam, & cur sit requirenda, ac summatim iudicium interponit, mihi quidem videri solet, vt breuiter, ita scitè fecisse & opportunè. Eodémque modo dum Sullam, qui à persequendis hostibus exercitum tunc reuocasset cũ eos profligare posset, excusat atque adeò laudat verbis illis. *Huius consilium reprehendendum non videtur, aliæ enim sunt legati partes, atque Imperatoris: alter enim omnia agere ad præscriptum, alter liberè ad summam rerum consulere debet*, nemo non videt quàm acutè, grauiter appositè modestè quoque ac breuiter iudicium suum protulerit. Quam rem totam luculentis adhuc aliorum historicorum ac Plutarchi inprimis Tacitíque exemplis illustrarem nisi in promptu essent. Illud potiùs monebo, prouidendum esse diligenter tum ne temerè sed prudenter ac scitè (neque enim est facillimum) iudicium ac sensum tuum in rerum gestarum narratione interponas: tum verò ne id, nisi parcè atque in re ancipiti ferè & graui, ac paucis, facias. aut enim prudenter & appositè id præstandum, aut omninò supersedendum.

Atque his sanè attulisse & explicasse velim germanas Historiæ scribendæ leges, quod pertinet ad rerum Inuentionẽ & Dispositionem. Quas sanè leges partim nosmet ipsi ratione in consilium adhibita excogitauimus, partim ex Aristotele, Halicarnasseo aliísque probatis authoribus, sed in primis ex M. Tullio, accepimus & deriuauimus: qui in auream præceptionem illam, quam habuit de Historia II. libro de Oratore, documenta sanè multa inclusit dum sic scriberet. *Quis nescit primam esse historiæ legem ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gra-*

tiæ

tiæ sit in scribendo, ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. ipsa autem exædificatio posita est in rebus & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, consilia primum, deinde acta, postea euentus expectantur, & de consilijs significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari, non solùm quid actum aut dictum sit, sed etiam quo modo, &, cum de euentu dicatur, vt causæ explicentur omnes, uel casus, uel sapientiæ, uel temeritatis; hominumque ipsorum non solùm res gestæ, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cuiusque uita atque natura. sic Cicero. cuius verbis lubet etiam quæ ad rerum gestarum Inuentionem Dispositionémque pertinent, perorare: & ad Elocutionem, eo itē duce qui hoc ipso in loco totam historiæ præceptionem in res ac verba distribuit, deuenire. Nunc igitur ad Elocutionem, quæ tamen apud nos est postrema tripartiti huius quē de historiæ legibus suscepimus, laboris pars. Porrò huius leges atque præcepta eò sunt accuratiùs pertractanda quòd hinc rerum gestarum existit absoluitúrque narratio atque adeò numeris omnibus absoluta sese offert Historia. Commodè verò cecidit vt in primo libro explicuerim quo dicendi genere vtendum sit historico ne in Poëtarum aut Oratorum dictionem facilè incurrat. hinc enim Elocutionis historicæ leges eruere licebit & promulgare. Sit igitur Historici dictio emendata primùm & pura: ac propterea seu latinè scribas, seu vernaculo sermone vtaris, laudatos authores sequaris qui inter suos emendatæ orationis laude præstent: ídque tum vniuersim tum sigillatim historico dicendi genere ac stylo. Quapropter qui Latinis litteris mandet historiam, vt emendatè scribat & candidè, habet in promptu Cæsarē, Sallustium, Curtium, Liuium, atque alios deinceps, si opus sit, quorum imitetur dictionem. Quod si fortè Italicè (atque idem tu de ijs colligito, qui alio, vernaculo tamen, sermone scripserint) sit scribendum, Italicos quoque authores adeat qui soluta oratione purè & emendatè scripserint & ad res gestas narrandas accommodatè. Nam de Græca (Græcam appello non quæ Græcorum lingua teritur hoc tempore dū

XX. LEX.
De Elocutione, quæ multis item præceptis constat.

I.

materno

materno vtuntur sermone, sed quæ olim vsurparetur & in antiquis eorum monumentis elegantia venustatéque plenissimis asseruatur) nihil attinet dicere. Qui enim Græcè historiam conderet. is non tam communi ac publico mortalium quàm perpaucissimorum quorundam nimirum eruditissimorum, bono consuleret, ne dicam sibi ferè caneret ac Musis. Denique qui Græcè historiam scriberet, eum imitaretur qui nascentem puellam, eámque egregiam ac nobilem quámque liberaliter educare par esset, pulcherrimo atque adeò regio sepulchro conderet, vbi interiens perpetuò delitesceret. Atque idem fermè de Hebraica dixerim. nam qui Hebraicè. prisco scilicet more, historiam exararet hoc tempore, is tanquam in Sanctuarium inferret rerum gestarum memoriam vt in arcanis ferè esset omnibus, ac non tam
II. proderetur quàm occultaretur posteritati. Iam verò faciendum quoque est vt perspicua sit Dictio, ac propterea quo ad
III. eius fieri possit propria & significantissima. Qua de re nihil est cur rursus agam, cum in primo libro totam hanc rem copiosè persecutus sim. Illud tamen non præteribo sic verborum proprietatem perspicuitatémque colendam, ac voces significantissimas deligendas, vt in progressu nec putida euadat nec satietatem gignat oratio. Qui enim non breuem & tamen rebus plerisque non dissimilibus, vt multis vel seditionibus verbi gratia vel prælijs vel nauigationibus, condat historiam, huic cauendum ne in easdem voces aut dicendi formulas dilabatur passim, quòd propriæ significantésque ac proinde perspicuæ videantur. hinc enim (vt dicebam) putida & insuauis fiat oratio, quæque inprimis fastidium afferat ac satietatem. Igitur vt perspicuitati non sine laude seruiat, historicos diligenter euoluat, nec grauetur ad Plinios vsque descendere. atque hinc inde matinæ instar apis, hoc est delectu summo, varia delibet, vt varietur nec tamen obscuretur oratio. Quod eò etiam fœlicius illi continget si præter historicos (ij enim vel maximè versandi sunt) laudata auctorum Latinorum monumenta peruolutarit omnia. hinc enim sine dubio copiosissimam sibi ad dicendum parabit supellectilem: præsertim verò si ex M. Tullio (habet

enim

enim quæ ab industrio scriptore magna cum perspicuitate historico aptentur stylo) deriuet ad historicam scriptionem, quæque non sine venustate item ac dignitate, numeris præsertim mutatis ac dictione veluti pressa, vsurpet. Certè illi quem paulò ante in descriptionibus ingenium ostentasse obseruauimus, magna, si me audies, debetur laus quòd significanter propriéque loquatur: & tamen in summa rerum similitudine, admirabili etiam varietate (vt Latinitatis authores & inprimis historicos diligenter euoluit, nec sine delectu inde hausit) occurrat satietati. Sed & breuitati studebit noster historicus: quam tamen sic coli volumus vt perspicuitati seruiatur. nullam enim laudem concedimus breuitati quæ luce careat. Itaque peracuta illa Taciti breuitas historiæ, mea quidem sententia minimè accommodata est, cum tantopere officiat perspicuitati: vt mirum non sit authorem istum non minùs tenebricosum quàm acutum videri ac breuem. Si tamen acutus dicendus ille est ac breuis, cuius acuminata breuiloquentia & verbis ac sententijs concisa, legentis torquet mentem. nobis enim ea tantùm probatur breuitas, quæ redundantiam declinat, non quæ Laconicam breuiloquentiam imitatur. acutus etiam is videtur, apud quem sententiæ natæ & opportunæ non elaboratæ, & conquisitæ videri possint. In quos sanè scopulos, mea quidem sententia Sallustius quoque interdum, Thucydides frequentiùs, incurrit; sed Tacitus maximè omnium. Quanquam inde etiam obscurus est Tacitus quòd cum Thucydidem, hoc est historicum inter Græcos maximè laudatum, sibi imitandum proposuisset, id inprimis expressit quod maximè omnium declinare oportuit. Si quid enim est in quo Thucydidis improbetur industria, id sanè est obscuritas orationis, quippequæ tum est mirè pressa & acuta nimis, vt significare cœperam, tum obsoleta multa continet & noua. ita vt non raro verbis sententiisque a communi dicendi genere omnino discedat. Atque his planè de causis Ciceroni minùs placet, qui propterea obscuritatem illi obijcere non dubitauit. Quin etiam mirum est quantopere il- IV.

lum hac in re exagitet Dionysius, *Propriam quãdam* (inquit) *dicendi formam ab alijs non animaduersam primus in historiam induxit: & in electione quidem uerborum] peregrinam dictionem cuique genti peculiarem obsoletamque, communi & usitatæ antepoſuit: in iungendis autem inter ſeque aptandis maiorum aut minorum uocum particulis grandem, auſteram, grauem & in litterarum aſperitate aures ferientem compoſitionem, pro ſuaui, molli, & concinna nihilque aſperitatis habente ſectatus eſt.* Hæc & alia quæ perſequi longum eſt Dionyſius de Thucydidea
VI. dictione: quibus item docet ab uſitato dicendi genere abhorruiſſe, indéque incredibilem obſcuritatem in ſuã hiſtoriam inuexiſſe. Atque in hos veluti ſcopulos impegit Tacitus dum imitaretur Thucydidem: in obſcuritatem (id quod de Thucydide Marcellinus, etſi eius laudator, non grauatè fatetur) incidens de induſtria. Niſi tamen Thucydidem à Tacito in obſcuritate præſertim ob conquiſitiſſimum acumen affectatámque breuiloquentiam vſque adeò ſuperatum dixeris, vt dilucidus quodãmodo videri poſſit Thucydides ſi cum Tacito conferetur. Certè dum Tacitus à quibuſdam mendoſus fit paſſim, ideò mendoſus videri in multis debet quòd Thucydideum illud hoc eſt obſoletum dicendi genus imitari & intemperantiùs in Romanum ſermonem inducere auſus ſit. Declinabit igitur (vt ad rem redeam) noſter hiſtoricus conciſam Taciti breuiloquentiam & acumen illud ſpiſſum ac nimium quo item obſcuritatem parit ac lectorem mirificè torquet, tantũ abeſt vt delectet, aut (quod caput eſt)
V. dilucidè inſtituat ac doceat. Ad extremum hiſtorici dictio æquabiliter fluat ac temperate. Nam etſi rerum varietas paulò uariari orationem interdum cogit, tamen vt modò infletur ac turgeat, modò ſerpat humiliter, id verò ferẽdum non eſt. Vt enim is qui cothurnum altero pede, altero ſoccum, geſtaret in ſcena, ridendus eſſet, ita qui in hiſtoricorum theatro modò Oratorio aut Poëtico aſſurgeret ſtylo, modò tabernarium imitaretur riſum moueret facilè. vt propterea mediocritas colenda ſit. Sed quoniam hiſtoricæ dictionis imaginem retulimus in primo libro, eámque, vt faciliùs diſcernatur, cum Poëtica contulimus & Oratoria, in

eam

eam intueatur historicus. Ita demum in historiæ constitutione (de hac enim præcipimus hoc libro vt pro dignitate scribatur historia) enitendum erit vt rerum gestarum narratio atque adeò historia ipsa pulcherrimo animanti, maximè verò homini, respondeat: ídque ea planè ratione vt Annales respondeant ossibus. vt enim homo ossibus sustentatur, ita Annalibus historia. Annales verò cum dico, annuos euentus intelligo qui nudi confecti sint (verè enim Annales vberiori historiæ adhibentur) ac breues euentuum notationes contineant: atque ij quidem vel certè breuissima quædã & impolita rerũ capita quæ narrationi substernas primùm, historiam (vt dicebam) tanquam ossa sustinebunt. Tum ordo rerum ac tempus quasi nerui actiones nectant ac rerum gestarum partes; ita scilicet vt quemadmodum nerui hominem vinciunt totum per partes singulas, ita tempus ordóque res ab initio ad finem vsque cohibeat. Iam verò Elocutio carni respondeat: vt quemadmodum hæc corporatũ efficit hominem ac mirificè complet, ita Elocutio historiam. Sed & orationis nitor ac perspicuitas hominis colorem æmuletur ac nitorem: vt quemadmodum color ac nitor obuium facit oculis hominem ac visu iucundum, ita orationis perspicuitas ac nitor historiam & intellectu facilem atque adeò mentis oculis obuiam & animo iucundam efficiat. Ad extremum Veritas exprimat animum atque huic adamussim respondeat, vt quemadmodum humano corpori vitam animus, ita historiæ vniuersæ vitam tribuat Veritas. Quod si rursus in Procemio (hoc enim vbi historiam confeceris, narrationi omninò præfigendum putamus ne quidquam omittatur vnde aditus sit planior) lectorem attentum effeceris ac docilem (beneuolẽtia enim Oratori potiùs quàm Historico captanda est) ídque rebus dicendis & magnis ex ordine propositis, procemio quoque pro historici munere optimè satisfeceris. quam sanè & attentionem & docilitatem non temerè instaures in narrationis progressu si quando actioni initium dederis quæ vel noua & admirabilis vel grauissima summi que momenti videri possit. Hæc de historia, quod pertinet ad eius leges vt ritè & pro dignitate scribatur.

IAM Legibus propositis, Historiæ cõstitutio humanæ cõstitutionis simili & imagine declaratur.

Additur tamẽ XXI. LEX, quæ ad procemiũ pertinet.

IAM perorantis quæ ad Historiæ leges pertinent, ostenditur Historię scribendæ rationem pręceptis concludi posse & ad Artem reuocari: proindeque XVI. Theorema explicatur quod in extremo superiore libro fuerat propositum.

Quæ sanè leges si eæ fuerint quibus tanquam Artis præceptis iam vti liceat, nos quidem laboris non pœnitebit. sin minùs, ijs saltem peritia quædam contineatur, vnde instructior ac paratior ad nobile rerum gestarum monumentum condendum accedas. Tametsi quoniam ea quæ iandiu disputabam vt efficerem historiam Arte indigere nulla, quasi verò Veritati dicendæ (hæc enim est historiæ caput ac summa) præceptis nullis opus esset, cùm eodem in loco aduersarijs labefactauerim argumentis, in præsens quoque (ni fallor) harum pondere legum euerterim, cur Historiam Arte contineri posse inficier, non habeo. neque enim propositis legibus retentis crediderim non constanti ratione ac via Historiam conflari posse. Et sanè quis ferat Medicinam atque alias artes multas quæ totæ in coniectura positę sunt ac propterea στοχαστικαὶ dicuntur à Græcis, inter artes tam facilè numerari, Historiæ verò scribendæ rationem quæ multò certior est ac planior, ex Artium albo excludi sinat? Quin etiam si quis vel Rhetoricam vel Poëticam inter artes referri haud ægrè patiatur, multò iustiùs historiæ condendæ leges atque præcepta in Artis habeat loco. Vt enim ex habitu & recta cum ratione agas, atque aliquid prætereà efficias quod post actionem ipsam maneat aptiùs in Historiæ contingat munere quàm Poëtico aut Oratorio: siquidem Orator ac Poëta dicendo etiam non incommodè opus explet suum, quin dicendo vel maximè suas implet partes; Historicus contra opus relinquit quod diuturnum perseueret. Neque verò est quod obijcias Historicum persequi res singulas, quaéque infinitæ propemodum videantur, proindéque artem effugiant, quandoquidem historicus finitas ac certas actiones complectitur; indiuiduas illas quidem (actiones enim omnes rerum sunt singularum) sed quibus tamen eædem fermè leges, non secus atque éadem regula multis domibus seruire possit. Vt propterea Historiæ leges & constantes ac certæ & operi quod maneat, humanaéque societati vtilitatem afferat, moliendo accommodatæ videri possint, ac propterea dignæ sint quæ Artem gignere valeant.

DE LATINIS Histori-

ATQVE his sanè de historica tum Inuentione & Dispositio-

ſitione,tum Elocutione cõſtitutis pręceptis ac legibus, hiſtoriæ ſcribẽdæ ac dijudicandæ ratio conſtare poteſt. Nam ſi quis à me adhuc poſtulet vt ad hiſtoricos ipſos mutuò conferendos ac dijudicandos deſcendam, ac iudicium hac in re meum interponam, huic equidem in re tam ardua & inuidiæ, ne dicam aleæ, pleniſſima, ſatisfacere nec facilè poſſim, nec ſi quo modo poſſim, vllo modo velim. Niſi tamen, quoniam iandiu Cæſarem, Salluſtium, Curtium, Liuium imitandos inprimis atque colendos propoſui, ſententiæ meæ rationem expoſcas, & de præcipuis ſaltem Latinis hiſtoricis vt ſententiam feram, & vrgeas & iubeas.

cis iudicium, & quatenus quemque imitari præſtet ac ſequi.

Et ſanè dum hæc doceo, mihi quidem, neſcio quo pacto, audire videor aliquos noſtram adhuc induſtriam in ijs quæ ad Latinos hiſtoricos ſeligendos imitandóſque pertinent, requirentes. dum enim à Cæſare Liuius dicendi genere ac ſtylo tantopere diſſidet, Salluſtius verò ſi non dictione omninò, at certè Diſpoſitione totóque artificio reliquo cum eo pugnat, Curtius etiam propria quadam ſcribendi ratione gaudet, quid tu hos nobis authores ac duces imitãdos proponis qui nõ in veſtigijs iiſdẽ inſiſtunt ſed fermè incedũt aduerſis?

Priùs tamen huius conquiſitionis neceſſitas indicatur.

Ego verò id non modò fateor ſed profiteor: idémque (vbi in hunc campum impellor) ex eorum ſcriptionibus confirmabo. ſed tamen adhuc hiſtoricos iſtos hiſtorico noſtro imitandos propono: ídque ea de cauſa quòd quamuis ſuo quiſque ſcribendi genere delectatur, ex ſingulis tamen ſeligi aliquid poſſit vnde perfectus hiſtoricus inſtituatur. Quapropter (vt me explicem, & bona cum venia quid de ijs hiſtoricis ſentiam ingenuè fatear) ſic ſtatuo. Ex Latinis hiſtoricis qui meas omninò impleat aures, hoc eſt ijs excellat omnibus quæ in perfecto atque omnibus numeris abſoluto hiſtorico requiruntur, extat nemo. Etenim Cæſar quem admirari ſoleo, non plenioris hiſtoriæ reliquit Ideam, ſed breuioris ac preſſæ, quæque vel germanis Annalibus & Commentarijs ſcribendis videri poſſet exemplar (nam idcircò Plutarchus ἐφημερίδας, Strabo ὑπομνημονεύματα eius appellat Commentarios) vel certè ad pleniorem perfectámque hiſtoriam ſcribendam res geſtas, breuiter ille quidem ſed optimè tamẽ

De Cæſare.

ordinatas & collocatas, inprimisque orationis candore ac virili dicendi genere informatas, parauit. Itaque M. Tullius in Bruto, *Cæsar* (inquit) *Commentarios quosdam scripsit rerum suarum valde quidem probandos: nudi sunt, recti & venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. sed dum voluit alios habere parata vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortaße fecit qui illa volunt calamistris inurere: sanos quidem homines à scribendo deterruit*. sic Cicero. Vt propterea non plenioris sed angustioris & qualis ab Imperatore qui in castris ac summis occupationibus distineretur, optari potuit, historiæ Ideam extulerit Cæsar. Denique, vt omittam inchoata quædam & rudia occurrere in hoc authore optimo, seu partim mendosa & obscura, partim ab Hirtio, hoc est non à scientissimo historico, absoluta (quanquam Hirtij quoque monumenta aliqua ex parte interciderunt: ita vt media & postrema, quæ rudiorem adhuc stylum in Hispanicis referunt; non facilè primis respondeant) qui Cæsarem tantopere extulit M. Tullius cum eum non lacunosum aut saltem mendosum offendit, quod nobis contigit; tum verò in ea spectauit tempora in quibus Romani historici rudiores adhuc erant & impoliti: ita vt per idem tempus inter historicos vnus Cæsar sapere, ac Latinis inprimis, hoc est purè, perspicuè & candidè loqui visus sit. Scripsit igitur Cæsar suos Commentarios & eleganter & scitè, non tamen vt perfectæ historiæ obtinerent locũ; verùm ne scientia tot tantarúmque rerum posteris scriptoribus deesset, sed eas paratas haberent si quando germanam ac perfectam inde historiam conficere molirentur. Et sanè si historiam potiùs quàm Commentarios confecisset, nõ statim sinè proœmio vllo ad Galliæ diuisionem aggressus esset, sed historiæ illius scribendæ vtilitatem atque rationem aliquã indicasset: nec rursus Galliam priùs distribuisset quàm nonnihil de eâdem cõmemorasset in vniuersũ: denique, vt alia multa prætereã, dum eam partitur ac describit, iámque Heluetios de illa occupanda cogitantes ac propterea iam iam e suis finibus in Galliam contendentes inducit, non ea subijceret verba, *Cæsari cum id nunciatum eßet, eos per prouincias nostras iter facere conari*,

nari, maturat ab Vrbe proficisci: & quammaximis itineribus potest, in Galliam vlteriorẽ contendit, et ad Geneuam peruenit: prouinciæ toti quammaximũ potest militum numerum imperat (neque enim antea Cæsaris vlla facta erat mentio aut ad Cæsarem Prouinciam pertinere indicatum) sed priùs doceret Populum Romanum de Heluetiorũ apparatu audisse quídque gerendum censeret statuisse, ac Cæsarem in primis delegisse qui illuc properaret. neque enim in perfecta historia committendum fuerat vt non antea intelligeretur Cæsarem in Galliam destinatum. & qua authoritate quóque nomine & consilio id factum esset. quæ tamen omnia scitè prætermisit author, quòd hæc & id genus alia suppleri possent maiore otio nec Commentarios scribenti magnopere necessaria viderentur. Perfecti sunt itaque in suo genere Cæsaris Commentarij, ac dignissimi qui inaudita illa fluctibus eriperẽtur audacia: præsertim verò quia veritatis quoque notas egregias referunt: cum & ea scripserit author quibus non interfuerat solùm sed præfuerat; & tunc ea vulgauerit cum infinitos propemodum haberet testes a quibus redargui posset si mentiretur. Vt omittam a Cicerone non vno in loco veridicum indicari. sed vt hæc tibi concessero, atque illud addidero a Plutarcho aliísque authoribus multis iísque laudatissimis cõmendari, ita vt candore & elegantia historicis antecellat omnibus, de castris, agminibus, exercitu, machinis, dimicationibus, oppugnationibus, déque re bellica vniuersa perspicuè ac supra omnem historicorum consuetudinem milites Imperatorésque instruere possit, illud tamen ipse mihi vicissim concedas necesse est, pressum nimis angustúmque videri dum plenioris historiæ forma cõquiritur; ita vt absolutum historicum requirenti non plenissimè satisfaciat.

Fœlicior videri fortasse posset Sallustius cum eius oratio manet latiùs, & ex angustijs, vt vberiorem scribebat historiam & pleniorem, rerum gestarum educat monumenta. Sed tamen cum maxima ex parte interierit (perexiguam enim Sallustianæ historiæ partem retinemus si recolatur vndique) minùs optatis respondet nostris. Vt omittam eius orationem interdum vetustatem nimiam redolere (de qua tamen De Sallustio.

re non (multò post copiosè) ita vt in Thucydidis culpam & reprehensionem aliqua ex parte inciderit. Quanquam ciuilem prudentiam intemperantiùs ostentat, vnde eodem quo Polybius nomine(etsi Polybius hac in re immoderatior videri potest)insimulatur: & rursus Eloquentiæ neruos ambitiosè, Thucydidis item instar, intendit. quæ duo in historico grauissima culpa non carent. Vt enim qui pila ludunt(ad Ciceronis simile confugiam)non vtuntur in ipsa lusione artificio proprio palestræ, sed indicat ipse motus didicerintne palestram an nesciant: & rursùs qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil vtuntur, tamen vtrum sciant pingere an nesciant, non obscurum est, sic non boni historici est Eloquentiæ ciuilisque prudentiæ artificium ostentare & iactare: sed satis habere vt ex historico hoc est temperato scribendi genere (id quod ex Cæsare & Halicarnasseo intelligere licet) declaretur vtrum eas artes didicerit. Denique Sallustius altiùs passim repetit res gestas ac descriptiones morum longiùs protrahit quàm ferri possit: concionibus quoque modum excedit omnem: necessaria quædam prætermittit: cum tamen in alienis aut certè minùs necessarijs multus sit: ita vt non tam Cæsarianam breuitatem(id quod cupimus) ex angustijs educere quàm fastosam & impeditam historiæ scribendæ formam(quanquam de Elocutione interim nihil statuo) proferre videatur. Id quod is sentiet qui Catilinæ coniurationem & Iugurtinum bellum, quæ duo adhuc extant, diligenter & sinè contentionis studio perpenderit. Etenim (vt huiusce tibi rei specimen extet aliquod) non satis habet Catilinæ coniurationem multò altiùs quàm par est, & ab aliena re, hoc est ab hominis qui se cæteris animantibus (eius vtor verbis) præstare cupiat, officio, duxisse, ac Philosophicis rem præceptis peregisse; sed continenter de se ipso præfatur multa: mox etiam cum iam tandem ad coniurationem ipsam esset descendendum, à Catilinæ genere atque ortu & adolescentia ipsa orditur rursus. Quanquam illud palmare, quod cum ab Catilinæ ortu, adolescentia, educatione, moribus, flagitijs denique, ad cupiditatem deuenisset vnde agitaret animo Remp. occupare; ac propterea iam iam ad con-

iurationem ipsam aggrediendam rémque ipsam attingédam
vocaretur, continuò re dissimulata, regressus longiùs, ab Vr-
bis Romæ ædificatione, imò ab Æneæ aduentu, nouum du-.
cit Proœmium. sic sanè cum vnam Coniurationem sibi scri-
bendam proposuisset, quatuor proœmijs prælusit. quorum
primum Ciuili institutioni ac Philosophicæ doctrinæ con-
ueniat veriùs quàm Coniurationi cui præmittitur. Alterum
in quo sibi ipse cani integerrimos; quibus tamen vacuus
erat; sibi mores affingens. ita vt hoc quoque sinè iactura vl-
la, ne dicam magna cum laude, omitti ab eo potuerit, qui
criminosus esset totus & verò se interim Ciceroni hoc est ci-
ui optimo per improbitatem infensissimum ostendat. Ter-
tium in quo à Catilinæ genere (vt dicebam) & adolescentia
orditur. vbi sinè dubio in Catilina describendo verbis ma-
nat atque adeò luxuriat latiùs quàm historiæ breuitas aut
grauitas patiatur. Postremum in quo tum præpostero planè
ordine agit (nam quid erat, obsecro, cur Catilina iam iam in
patriam conspirante ac furente in medium adducto, ad Æ-
neæ aduentum & Vrbis ædificationem regrederetur?) tum
inconsideratè inprimis: cùm huiusmodi proœmium ei qui-
dem conueniat qui Romanam historiam vniuersam scri-
bere aggrediatur: ob unam coniurationem quæ breui quo-
que extincta est, temerè instituatur. Vt omittam in hoc eo-
dem proœmio sic digredi ut longè ac latè tum Romanę Vr-
bis incrementa, mores, vicissitudines, corruptelas persequa-
tur: tum hinc ad Atheniēsem, illic ad Cartaginensem, Rem-
publicam diuertat, quasi has interim comparare oporteret:
tum in Syllam rursus digrediatur, quasi verò non satis eum
paulò ante insectatus esset, ac nouum hoc monstrum, Cati-
linam inquam, ex eius libidine extitisse non docuisset: tum
ad delubra ad templa, & id genus alia deueniat, ac moræ im-
patiens, Catilinæ antequam Coniurationem ipsam aggre-
diatur Sullanísque omnibus conflet inuidiam. Vt omittam
in hoc eodem proœmio Oratorem agere veriùs quàm histo
ricum, cum exaggeratè nimis ac supra fidem celebret uete-
res mores: præsentes prolixiùs & oratoria contentione in-
sectetur. Atque his siue proœmijs siue digressionibus ad Ca-

tilinam tandem regreditur, de moribus eius corruptissimis longam texens querelam & orationem: quasi verò non ad nauseam de illis dixisset antea. Iam verò cum sententias veluti de plaustro fundat, in Reip. inclinationibus & mutationibus ac rerum vicissitudine tam multus sit, ac passim iudicium, ídque vberius, interponat, quis non illum animaduertat ciuilem prudentiam ostentasse? De Eloquentia verò nihil attinet dicere, cum in tam breui historia tam multas násque benè longas & rectas proferat conciones, quas tamen vel styli similitudo satis ostendit vnius eiusdêmque esse authoris, hoc est Sallustij, ac proinde fictas esse ad ingenium ostentandum & Eloquentiam. vt omittam & in Catonis & Cæsaris comparatione, & in priscorum morum laudatione, reprehensionéque præsentium, in Catilinæ quoque moribus describendis, eloquentiam non mediocriter ostentare. Huc accedit quod etsi multus est in rebus alienis persequendis, negligens tamen fuit in varijs Catilinæ sectatoribus quos domi forísque habebat & fautoribus recensendis ac Manliano inprimis exercitu describendo: hæc enim saltem confecto bello resciri ac describi potuerunt diligenter. quid quod nec locum in quo pugnatum est describit satis nec quales copias aut quantas conscripsisset Consul (hæc enim magis in promptu erant) & ad pugnam eduxisset, com memorat? *Catilina* (inquit) *arma per Italiam locis opportunis parare*. & alibi, *per montes iter facere: modò ad Vrbem, modò ad Galliam versus castra mouere*. & rursus. *Q. Metellus Celer sub ipsis radicibus montium consedit quà illi descensus erat in Galliam properanti: neque Antonius procul aberat vtpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur*. & paulò post, *Catilina instructos ordines in locum æquum deducit, & vti planicies erat inter sinistros montes & ab dextera rupe aspera, octo cohortes in fronte constituit*. hæc Sallustius. Ex quibus vbi pugnatum sit ægrè conijcias: quibus copijs præsertim à Romanis certatum, nullo modo.

Ex quibus omnibus non difficilè est conijcere inuidentia atque odio quo se ab initio expertẽ prædicauerat, ndulsisse

fiſſe nimis: ac ſimul, quoniam Marianus ac Cæſaris ſectator eſſet, Catilinæ (vt dicere cœperam) ac Syllanis omnibus, ſigillatimque Pompeio quem perſtringere non dubitauit, inuidiam, conflare voluiſſe. Vt minimè mirum Lenæum Pompei libertum in Salluſtium Satyras deinde compoſuiſſe, eúmque maledictis acerbè dilaceraſſe, quaſi vita & moribus perditiſſimum, ſcriptis monſtroſum, ac M. Catonis furem ineruditum. Sed & illud animaduertere licet Salluſtium tum in prolixo huiuſmodi procœmio atque hiſtoriæ veſtibulo, tum in obſoletarum vocum ac priſcæ dictionis vſu Thucydidem imitari voluiſſe qui procœmium benè longum ac longiſſimè petitum hiſtoriæ præmiſerat ſuæ: & verò obſoletarum vocum priſcíque dicendi generis fuerat ſtudioſiſſimus: ita vt quæ in Thucydidem Halicarnaſſei & aliorum, &, quod caput eſt, Ciceronis ipſius hac de re extat reprehenſio, in Salluſtium nonnihil conueniat. Nam Thucydidis ſtudioſum fuiſſe Salluſtium, vel ex eo intelligitur quòd Liuius, Annæo, Seneca teſte, obijcit Salluſtio eum ex Thucydidis hiſtoria deſcripſiſſe multa (ſententias, opinor, intelligit varias & ciuilia quædam præcepta quæ ne pro Thucydideis facilè agnoſcerentur, immutauit) quæ tamen corruperit, ac deprauarit. Vt propterea quæ duo in Thucydide fuerunt declinanda, ea per imprudentiam ſectatus ſit. Mitto autem cuiuis magis argumentum hoc fuiſſe attingendum & hiſtoriæ commendandum quàm Salluſtio. cum enim eſſet infenſiſſimus Ciceronis hoſtis atque odium gereret immortale, (nam Coniurationem conſcripſiſſe & edidiſſe poſtea quàm inimicus factus eſſet M. Tullio, cum aliunde tum ex ijs quæ mox ferè ſubijciam conſtare poteſt ſatis) quid erat cur eam hiſtoriam ſcriberet, in qua M. Tullius Coniurationis extinguendæ fuiſſet princeps atque immortalem ſibi gloriã pepeiſſet? nam ſi hæc cum ſcriberet, affectu omni (quod profitetur) vacuum gerebat animũ, cur incredibilem Conſulis optimi diligentiam, charitatem, prudentiam, ac diurnos nocturnóſque labores partim reticuit, partim frigidè omnino indicauit? ſi tamen indicauit. nam dum verbis illis rem attingit, *Plebs (coniuratione patefacta,*

facta, Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad Cœlum tollere veluti ex seruitute erecta gaudium atque lætitiam agitare, tacitè plebeium facit illum qui nō à Senatoribus & Ciuibus sed à Plebe celebraretur, atque homo nouus (quod iam antea de Cicerone iactatum dixerat) extolleretur. Nec dissimili eum arte laudat ne dicam insimulat, dum siue timore siue ira luculentam in Catilinam orationem habuisse scribit. Quid plura? Ciceroni ad cauendum astutiam & dolum non defuisse affirmat quidem, prudentiam & consilium prætermittit alacriter. Denique si tu, Sallusti, in historia scribenda quasi Thucydidis æmulus priuatas inimicitias obliuioni tradideras, cur, obsecro, ab initio scribis, *Namque antea pleraque nobilitas inuidia æstuabat, & quasi pollui consulatum credebat, si eum Cicero, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret*, & tamen ad extremùm prætermittis Ciceroni à S.P.Q.R. gratias amplissimas actas quòd consilio & vigilantia patriam incendio excidióque liberasset? cur rursus dissimulas plenissimo Senatu à Q. Catulo & M. Catone patriæ parentem, quod tamen & Poëtæ & Historici commemorant, fuisse appellatum? cur siles huius nomine decretas supplicationes, qui honos antea togato contigerat nemini, simúlque declaratum eius prudentia & vigilantia Vrbem incendio, Ciues nece, Italiam bello liberatam? cur taces eidem succlamatum, idque Pompeio ipso annuente, Romani Imperij ac propemodum totius orbis Terrarum salutem ei fuisse acceptam referendam? cur omittis hac eâdem de causa Capuæ Decuriones summo omnium consensu inaurata illum statua decorasse? certè hæc perscribere tum honorificum tum cum Reipublicæ bono & historiæ dignitate coniunctissimum videri poterat. Itaque nec satis cauit Sallustius ne quid aut falsi diceret aut veri prætermitteret aut gratiæ simultatíve tribueret. non apparatus & adiumenta pro dignitate commemorauit: non locorum descriptiones satis interposuit: non proœmijs aut digressionibus minimè opportunis abstinuit: non à concionibus rerúmque alienarum tractatione temperauit, aut Eloquentiæ ciuilísque prudentiæ ostentatione supersedit alieno etiam loco, ac postrema eáque nobi-

nobilissima per inuidentiam prætermittens historiæ finem imposuit. ita vt cum plurimas historiæ leges violauerit, non perfectam illam historiæ scribendæ formam atque Ideam nobis reliquerit quam requirimus.

Verum tamen haud nobis spernendus est sed ob elocutionem vel maximè colendus: quæ, si paucula quædam obsoleta detraxeris, à Latino Historico magna cum laude vsurpentur. Itaque tum à Gellio & Anieno, tum in primis à Quintiliano commendatur: qui scribit Sallustij oratione ac breuitate nihil fieri posse perfectius: ita vt hac saltem de causa primus in historia apud Latinos censeri possit. Quod si à Cæsariano dissidet stylo, id sanè quod pertinet ad Elocutionem & numerum (quanquam Elocutione & numeris multò minùs dissidet quàm cæteris) in lucro ponendum est, vt commodè variari tantisper possit oratio. qui enim vberiorem historiam scribendam susceperit, huic Cæsarem coluisse non sit satis, sed Sallustius quoque terendus & amplectendus: præsertim verò vbi ea quæ in historia siue perspicua breuitas ac celeritas siue breuitatis relaxatio ac moderatio, quæ duo ad stylum variandum probari multum solent, requirantur: in his enim fortasse. Cæsarem non æquauit modò sed superauit. *Igitur C. Manlium* (inquit alicubi Sallustius) *Fesulas, atque in eam partem Hetruriæ, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam, dimisit; præterea alium aliò, quem vbique opportunum sibi fore credebat. Interea Romæ multa simul moliri, Consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse. Item alios iubere, hortari, vti semper intenti paratique essent, dies noctesque festinare, vigilare, neque insomnia neque labore fatigari.* vbi quanta obsecro, & quàm perspicua breuitas atque celeritas? quæ tamen mutatis statim modis non nihil relaxatur dum è vestigio pergitur, *Postremò vbi multa agitanti nihil procedit; rursus intempesta nocte Coniurationis Principes conuocat per M. Porcium Leccam: ibique multa de ignauia eorum questus, docet se Manlium præmisisse ad eam multitudinem quam ad capienda arma parauerat: item alios in alia loca opportuna quæ initium belli facerent;*

seque

seque ad exercitum proficisci cupere; si priùs Ciceronem oppressisset, eum suis consilijs multum officere. Igitur perterritis ac dubitantibus cæteris, C.Cornelius eques R. operam suam pollicitus, & cum eo L.Vargunteius Senator constituere ea nocte paulò post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suæ imparatum confodere. Q. Curius vbi intelligit quātum periculum Consuli impendeat, properè per Fuluiam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant. Hæc rursus Sallustius, qui tamen paulatim redit ad breuitatem sic pergens, *Quibus rebus permota Ciuitas atque immutata Vrbis facies erat. ex summa lætitia atque lasciuia quam diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia inuasit; se festinare, trepidare; neque loco neque cuiquam homini satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres quibus pro Reipublicæ magnitudo bellum incesserat, afflictare sese, manus ad cœlum tendere, miserari paruos liberos, rogitare Deos, omnia pauere, superbia atque delitijs omissis, sibi patriæque diffidere.* hæc rursus. & tamen ab eâdem breuitate & celeritatem mox item se eximit, vberiorem interdum, interdum moderatè pressam orationem amplectens. Quapropter *Ibi multa* (inquit post paulò de Catilina) *secum ipse voluens, quòd neque insidiæ Consuli procedebant, ab incendio intelligebat Vrbem vigilijs esse munitam; optimum factu credens exercitum augere, ac priùs quàm legiones scriberentur, multa ante capere quæ bello vsui forent: nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo cæterisque, quorum cognouerat promptam audaciam, mandat, quibus rebus poßent, opes factionis confirment, insidias Consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent, sese propediem cum magno exercitu ad Vrbem acceßurum.* sic sanè modò cæsim, modò membratim, modò circumscriptè dicit: ac numeros & modos quibus suauitatem cum grauitate misceat, ac satietati opportunè occurrat, variare solet. Denique ea omnia quæ siue in procemijs illis & digressionibus, siue in descriptionibus & comparationibus, siue in ea Ciuilis prudentiæ aut Eloquentiæ ostentatione minùs probentur, quòd intēperantiùs atque

alieno afferantur loco, dignissima sunt quæ probentur propter Elocutionem: quandoquidem iudicio adhibito ad historicum stylum questu referri possunt maximo. Quapropter ambitiosa sit M. Catonis & C. Cæsaris comparatio, & ad Ciceronem, cuius item authoritate ac prudentia non minùs quàm Catonis regebatur Respublica, deprimẽdum; Cæsarem contra, à quo Sallustius pendebat, extollendum; stylo certè & Elocutione pulcherrima videri potest. *His* (inquit) *genus, ætas, eloquentia, propriè æqualia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia alij. Cæsar beneficijs ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine & misericordia clarus factus est; huic seueritas dignitatem addiderat. Cæsar dando, subleuando, ignoscendo. Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies. Illius facilitas huius constantia laudabatur. Postremò Cæsar in animum induxerat laborare, vigilare, negotijs amicorũ intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset. sibi magnum Imperium, exercitum, nouum bellum, exoptabat, vbi virtus eius enitescere posset. At Catoni studium modestiæ & decoris, sed maximæ seueritatis erat. Non diuitijs cum diuite, nec factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat esse quàm videri bonus malebat. Itaque quominus gloria petebat, eò magis illum assequebatur.* Ita quidem nihil occurrat in Sallustij Coniuratione vnde non compendium faciat industrius Historicus. Id quod libentiùs docerem equidem de Iugurtina historia (est enim sine dubio nobilissima & Coniurationem fide, diligentia, copia, longo superat interuallo) nisi prolixitudinem vererer. Tantùm dicam, me quidem non negare proœmiũ in Iugurtino bello & à re aliena & longiùs duci: & non necessariò ad rem propriam ab authore traduci, dum videri vult ab Reipublicæ administratione propter alienam ambitionem & culpam (etsi reuera à Censoribus propter flagitia prohibitus erat) abstinuisse. Fateor etiam tum demum cum bellum sibi scribendum proponit quod Populus Romanus cum Iugurta Rege Numidarum gessit, conuenienti proœmio vti, ac proinde antea sibi

potiùs

potiùs quàm historico muneri indulsisse. neque inficior Micipsæ concionem fictam videri omnino, ac summatim Adherbalis orationem atque huiusmodi alias multas ad Eloquentiæ laudem capessendam esse compositas, ita vt imminuant fidem historiæ. sentio etiam diuisionem illam Terrarum orbis quam ad Numidiæ situm & loca declaranda præmittit vnà cum vetustissimis Africæ populis, superuacaneam videri posse, aut certè longiùs quàm par est deriuari. Contra verò trium legatorum, qui à Populo Romano ad Iugurtam mittuntur, nomina per negligentiam vel certè per inuidentiam (ideo enim illos appellare adolescentes visus est) reticeri. *Sed posteaquam Senatus* (inquit Sallustius) *de bello eorum accepit, tres adolescentes in Africam legantur: qui ambos Reges adeant, Senatus, Populiq; Romani verbis nuncient, velle & censere eos ab armis discedere: ita seq; illisq; dignum eße.* hæc Sallustius. præterea nihil. Sed nec diffiteor crebriorem sententijs esse ac politicæ scientiæ laudem immoderatè affectare. alicubi etiam nescio quo pacto Poëticam dicendi formam referre; vt cum Africæ tum fines tum gentes describens ait, *Mare sæuum & importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori, arboribus infœcundus, cœlo terraq; penuria aquarum: genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum. plerosq; senectus dissoluit nisi qui ferro aut bestijs interiere.* & rursus, *Getuli & Lybies asperi incultiq; queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum vti pecoribus.* & huc pertinet quod scribit, *Clamor permixtus hortatione, lætitia, metu, strepitus armorum ad cœlum ferri: tela vtrinque volare. Hostes iam vndique fusi.* Vt carmen ferè spondaicum omittã quo Iugurtinum proponit bellum

Bellum scripturus sum quod Populus Romanus.

Hæc inquam omnia libenter concesserim. Sed tamen interim longè minùs quàm in Coniuratione inuidia abducitur Sallustius quin veritati cæteroquin seruit ac patrocinatur: ita vt diligens, ordinatus, perspicuus, plenus, vno verbo admirabilis mihi videri soleat. sigillatimque historicæ dictionis thesaurum, quem inprimis quærimus hoc tempore, nobis obijcit, ita vt ex Cæsarianis angustijs historicorum educat stylum.

stylum. Quod si res eò minùs cumulate optatis adhuc respondet nostris quòd non ampla historia censeri possit Iugurtinum bellum, sed vnigena & simplex, cum tamen reliquæ illius historiæ desiderentur quibus tum Marij item & Syllæ facta tum Pompeij res contra Mithridatem gestas, copiosiùs persequebatur, iam Curtius succedat à quo vberiùs adhuc ad historicum stylum informemur. Et quidem Curtij stylus cum suauitate & venustate tum breuitate ac perspicuitate nobilis videri potest. Denique eius nitor & elegantia eò gratior quo naturam potiùs refert quàm artificium. & quanquam duo priores libri desiderantur, ex reliquis etiam aliqui lacunosi interdum appareant ac mendosi, non mali tamen authoris industria sarciti sunt tandem: ita ut hinc etiam ad Elocutionis laudem & styli prouehi possit historicus. Nam quod interdum incredibilia quædam scribere videatur, id verò parum nostra interest in præsentia: cum nihil prohibeat quominus historicus à Curtio dicendi genus perdiscat, rerum quas scribit veritatem ex probatis monumentis ac summatim cautè consultóque decerpat. De Curtio.

At quid de Liuio? aut cur inter nobiles hosce Authores postremo illum numeras loco? an non multo plura hic vnus, etsi Liuianæ historiæ pars quarta supersit ægrè, nobis suppeditat quàm reliqui simul quos commemorasti omnes? non ne suauis, candidus, facundus, æquabilis, leporis plenus ac venustatis, lacteo par flumini à viris grauissimis iudicatur? profectò vt præconium sileam quo à laudatissimo eodémque sanctissimo authore Hieronymo celebratur (notissimum enim est) Quintilianus decorum, iucunditatem, candorem & perspicuitatem agnouit atque commendat in Liuio, eundémque cum Herodoto æquare, in concionibus etiam omnibus anteferre, non dubitat: præsertim verò quia immortalem illam Sallustij velocitatem historicásque virtutes sit consecutus. Quid quod Græcus author atque is Græcorum historicorum præstantiæ non ignarus & maiestatis, de Liuio hæc scribere non dubitauit? *T. Liuius grandis est circumductione supra quàm dici possit, cum qua tamen summa est claritas fusus æqualisque adeò vt lacteo par flumini oratio* De Liuio.

sit

sit sua. Pulchritudinis & iucunditatis tantum adhibet quantum possit orationem suam delinire, & ab altitudine non deijcere. Nam adeò varijs schematis ornatus est, eoque ordine ferè naturali apud eum res circunductæ sunt, vt vltra quàm dici possit dulcis sit suauisque. Quare mihi rectè, vt puto, hæc iudicanti, non Herodoto solùm vt multis, sed & Thucydidi simillimus uidetur. Grandem ab hoc, suaueb ab illo, mutuatus orationem. Hunc uirum (si quis benè orationis suæ uim intellexerit) non magis inter præclaros Oratores numerabit. Mirum enim dictu cum apud eum persuadere quisquam cuiquam uelit, qua rationum copia, quibus aculeis, quo affectu utatur. T. Liuium ergo Historico per omnia imitandum putamus, quem omnibus quos videre in historia contigit anteponimus. sic Græcus author. Sed quid moror, cum viri graues magnopere dubitent num futurum fuisset vt M. Tullius si, quod magnopere optauit ad historiam scribendam se se retulisset, Liuium superaret vel æquaret; quid excogitari potuit ad Liuij commendationem illustrius? Ego verò quoniam in hasce adductus sum angustias, quo me vertam? Equidem quid sentiam inuitus quidem fatebor ac mœrens, sed fatebor tamen. Si Liuij industria ac diligentia qualis & quanta fuerit ex me scisciteris, ego sanè verear ne passim requirenda sit potiùs quàm magnopere probanda. neque enim ea quæ vnus Dionysius Halicarnasseus de Romana re ad XII. vsque tabulas siue ad Decemuiratum sublatum scripsit (cætera enim interiere) degustari possunt, quin Liuij industria exilis appareat ne dicam plerunque ociosa & futilis; vsque adeò rerum multitudine, varietate, perspicuitate, ordine, probabilitate, atque adeò fide & industria à Dionysio, hoc est ab eo qui longè minùs idoneus ad Romanam historiam scribẽdam videri poterat, superatur. Nam qui ob Annalium ac monumentorum iacturam id Liuio contigisse volunt, Liuiúmque ipsum afferunt testem qui hãc planè obtendere videtur causam, quàm rectè faciant, non satis video. Certè idem Halicarnasseus qui eodem floruit seculo, etsi Græcus, Annales habuit & monumenta (horum ipse authores profert passim sinè inuidia) ex quibus hauserit ac Romanam historiam effecerit pleniorem.

niorem. Denique perfugium istud ad Liuij inopiam excusandam ac negligentiam purgandam, dum in Halicarnasseo tanta occurrit copia & diligentia, frigidum omnino ac ruuinosum videri solet. Vt propterea magnopere verendum aut suspicandum sit ne à Caligula (hic enim, si quibusdam credimus, priuatus adhuc cum Liuio familiariter versatus erat & quadraginta historiarum libros non sinè laude conscripserat) Liuius iurè ac meritò negligentiæ arguatur. De fide verò Liuianæ historiæ magnopere ambigo. etsi enim video à Tacito commendari ac fidei præclarum appellari dum extolleret Pompeium (quanquam multorum pace aliò spectat Tacitus quàm vt historicam eius commendet fidem: (de qua re paulò post) nos tamen eam ob conciones quas fictas mendaciisque compositas deprehendimus, eleuare coacti sumus libro I. multis etiam magnisque de causis eandem in suspicionem vocare vel inuiti cogemur in III. Huc accedit quod si quis conciones à reliqua Liuij scriptione secreuerit, historiam ferè exinaniuerit totam. Quod si etiam vana illa auguria & portenta rumorésque quibus ne ipse quidem, sed ne prudens quisquam, tantillum adiunxit fidem, adhuc detraxeris, vacua multò maximè appareat: ita vt verbis magis quàm rebus diues & copiosa videri possit. & hoc est quod Caligula rursus significauit dum Liuium verbosum quoque appellaret. Denique Liuij historiam, si temporum ac proinde rerum gestarum distributionem spectes, non immeritò cum ingenti animali vel potiùs cum inaudito ac monstroso Gygante conferatur. cuius caput, pectus, venter, femora sint vnius iugeri: crura & pedes iugera XIII. occupent tota. siquidem quingentorum ferè, imò verò quoniam ab Ilij excidio & Æneæ aduentu incipit, nongentorum propè annorum, facta Decade prima comprehendit: & tamen reliquis rebus gestis quæ vix octoginta supra ducentos continent annos, XIII. librorum Decades attribuit. Quæ tamen aliter peragi potuisse, & verò ab eo qui Romanam historiã texeret debuisse, Halicarnassei declarãt mon umẽta. Sed de his (vt dicere cœperã) in proximo libro copiosè.

Nunc quoniam Liuium Cæsari, Sallustio Curtio adiun-

ximus styli potiùs seu Elocutionis gratia, vt scilicet qui Latinè scribendã susciperet historiam, authores haberet quos maximè sequeretur, de Liuiana elocutione dicam, & cur eã retinendam, sed Cæsarianæ tamen, Sallustianæ, Curtianæ posthabendam, censuerim. Etenim dum lacteum Eloquentiæ fontem manare dicitur ac summatim propter dicendi genus à multis supra modum extollitur: cõtra verò ab alijs verbosus censetur ac Patauinitatem redolere, videndum est quæ demũ & quanta illius sit in Elocutione laus ac virtus. Porrò cum ipse aliquando totam rem hanc euoluerem animo & reputarem, in eam opinionem (quòd multorum pace dixerim) descenderam vt crederem Patauinitatem istam nomine quidé inuidiam, re verò laudem, Liuio nostro conciliare posse: ídque ea de causa quòd Asinius Pollio, qui primus Patauinitaté obiecisset Liuio, tacitè significasset Liuium quippe Patauinũ, Pompeianũ quoque fuisse: ac propterea Pompeianitatem Patauinitatis intelligeret nomine. Et sanè ij fuerũt Patauini qui Põpeio ac Reipublicæ celso animo semper fauerũt. Itaq; *Patauini* (inquit M. Tullius de Cæsarianis seu Antonianis loqués *alios excluserunt, alios eiecerunt missos ab Antonio: pecunia militibus, &, quod maximè deerat, armis nostros Duces adiuuerunt.* Quin Thraseã Patauinum Ciuẽ vnà cũ Heluidio genero natalem dié tum vtriusq, Bruti tum Cassij hac de causa celebrare consueuisse legimus apud Iuuenalé, vsque adeò Patauinis Respublica ac Reipublicæ fautores in oculis erãt,

Quale coronati Thrasea Heluidiusque bibebant

Brutorum & Cassi natalibus, inquit bonus Satyricus, Quid plura? Asinius Pollio, vt erat Antonianus (testatur id luculentè Paterculus) Patauinis longè infensus erat. itaque (Macrobio teste) acerbè cum ijs egit vt pecuniam & arma conferrent. quin cum ij id recusarent ac propterea delitescerent præmia & libertatem Patauinis seruis obtulit dũ tamen dominos qui delitescerent propalarent. quod tamen frustra tentauit. quid mirum igitur si Pollio quippe Cæsarianus & Antonianus Patauinitaté obijceret Liuio, hoc est, vt ego interpretor, Põpeianitatem quam Patauini profiterentur? facilè enim fuit vt quod virtutem alioquin redoleret, tandem à Cæsarianis qui Romano Imperio potirentur, Pompeianis ludi-

brio

brio uerteretur ac probro. Quæ res inde etiam videtur confirmari posse quòd Augustus Liuij historiã cum legeret, & ad eũ peruenisset locũ in quo Pompeium mirificè celebraret (desideratur hic locus ex Decade XII. aut XIII.) exclamasse fertur, Pompeianus est. Patauinitaté igitur cum Liuio obijceret Pollio & refricarent alij, ego quidé Pompeianitatem, hoc est Patauinorũ in Pompeium ac Romanam Rempublicã fidem & beneuolentiam per odiũ ac ludibrium obijci suspicabar ac mihi ipsi persuadere nitebar: præsertim verò cũ facilè cõtingere potuerit vt Pollio quippe historicus (sæpè enim figulus illustrioré figulum odit) Liuio inuidiã vndique cõflare niteretur. atque id ipsum sibi voluisse Tacitum coniectabam dum *T. Liuius* (inquit) *Eloquentiæ ac fidei præclarus inprimis Cn. Pompeium tantis laudibus tulit ut Pompeianum eum Augustus appellarit.* fide enim præclarum appellat Liuium hoc in loco non ob fidem ac veritatem historię, sed quia fidem & beneuolentiam erga Pompeium scriptis, etiam Augusto imperante, declarare, atque egregijs illã Pompeij præconijs ac laudibus testari, non dubitasset. Et sanè cũ Patauiũ colonia factum esset Romanorũ, ídque nobili prærogatiua illa vt Patauini & Ciues Rom. appellarentur & in Magistratuũ creatione non secus ac Romani ferrent suffragia, suã fidem ac beneuolentiã erga Romanam Remp. vicissim ostendere & debuit & voluit. Ita vt huius, ni fallor, fidei laudé Liuio nostro tribuat Tacitus. Id quòd eò fidentiùs mihi videor affirmare posse quòd omnino existimem Patauium à Cn. Põpeio Strabone Magni Pompeij patre, Romana ciuitate donatũ fuisse; ita vt in tã recenti beneficio multò magis enitere potuerit Patauina fides in Põpeium & Rempublicã vniuersam. Ex quibus omnibus efficeretur vt quod significauit Augustus cũ Liuiũ diceret Põpeianum esse, id Pollio indicasset cum diceret Patauinitaté redolere. Id inquã & opinabar aliquãdo & nũc etiam suspicor. cũ præsertim noua id confirmari possit ratione. Si enim ad orationé, id quod cæteri omnes affirmant, pertinet ista Patauinitas, vel ex pronunciatione vocisq; accẽtu ac sono dignoscebatur à Pollione vel ex verbis atq; adeò ex dictione & stylo. Primũ nisi temerè affirmari nõ potest, qñquidé Pollio nõ Liuiũ pronunciãtem audiebat, nec si audiuisset

rectè Patauinitatem redolere dixisset, sed potiùs Patauinitatē resonare aut sonare quid Patauinū. Non alterū: nam licet reuera Liuianam historiam perinde atque Augustus legendo cognosceret Pollio, vix ac ne vix quidē fortasse intelligi potest quas Patauinas voces, qualémue Patauinam dictionem seu dicendi rationem agnoscere posset in Liuio. si enim hæc agnoscere omnino licuit, age dum, obsecro proferāt illas qui ad orationem & stylum pertinere dictitant, ac rem alioquin obscuram & optatam dilucidare ne grauentur. Sed respōdet Lipsius Asinium Pollionem Patauinitatem obiecisse Liuio, hoc est quandam sermonis peregrinitatem. Ego verò cur isti assentiendum sit, non video. siquidem peregrinitatem redolere dixisset Pollio nō Patauinitatem. alioquin cum Romani colonias in Gallias & Hispanias deduxissent vnde Romanus seu Latinus sermo percrebuit, sed tamen ita percrebuit vt adhuc peregrinitatem quādam referret, proindéque satis intelligeretur num quis Romæ an verò in Gallia seu Hispania Latinè didicisset (& ideo M. Tullius Cæcilio obijcit quòd in Sicilia non Romæ Latinam linguam hausisset) peræquè Gallis & Hispanis Patauinitas obijci potuisset cum peregrinitatem redoleret illorum oratio. itaque vel Lipsio ac cæteris ostendendum erat Liuium referre peregrinas quasdam voces & peregrinam dictionem quæ Patauinorū esset propria, proindéque docendum in quo esset posita, vel non tam facilè atque adeò temerè ad orationem ea traducenda fuerat Patauinitas. Nam dum addit Lipsius nec tam in verbis quàm in stylo positam esse, nec docet quî tandem in verbis multò verò magis in stylo, quod ipse venditat, sit posita, quid est hoc, obsecro, nisi ariolorum more sapientiæ laudem obscuris responsis captare. Nam dum idem Lipsius ait Liuium esse diffusum & placidum, & in concionibus maximè disertum, & talem qualem eum describit Fabius, & tamen è vestigio fatetur esse supinum, frigidum ταυτόλογον, & rursus iudicijs sententiísque bonum, etsi non frequenter; profectò ineptè doctus videri vult. cum enim contrarias sententias amplectatur veriùs quàm vllam explodere audeat, satis indicat neutram sibi perspectam esse & cognitam, ac propterea vtrinque sibi tergiuersatione cauet, dum alioquin

videri vult oracula fundere. Quanquam ne cui videar contentiosum funem trahere dum à Quintiliano etiam ac peruulgata opinione discedo (indicat ille in verbis esse positã: Regius contra in frequentiore vsu figurarum Patauini sermonis: alij in sermone vniuersim) explorare aggrediamur num fortè Liuius peregrinis quibusdam vocibus & locutionibus formulísque dicendi vsus sit quæ non modò peregrinæ verùm etiam Patauinorum propriæ videri possint. nam per idem tempus Patauinorum Regio & dictio patebat multò latiùs: ita vt quemadmodum in præsens Æmilia, sic Patauina Regio peregrinum quiddam sonare posset quod proprium esset ac diceretur Patauinorum. Id quod eò tentabo libentiùs (nisi tamen id erit Isthmum perfodere) quòd hinc mihi ad institutum redire liceat ac docere cur Liuium Cæsari, Sallustio, Curtio in latinitate posthabendum censeam præsertim vbi de historico dicendi genere disputamus. Ergo non difficilè est quod credatur Patauinos Augusti tempore quo Romæ latinus florebat sermo, minùs latinè ac purè quàm Romanos loqui consueuisse: ac propterea Liuio facilè contingere potuisse vt non rarò se Patauinum ostenderit dicendi genere, nec bonorum studio authorum Patauinitatem omnino cauere potuerit. Ex quo fieret sanè vt & voces multæ, & phrases, & numerorum vsus, ac summatim tota orationis compositio & stylus in Liuio plus paulò abesset ab eo dicendi genere quod Romæ Ciceronis & Augusti tempore ab accuratis authoribus terebatur, quàm vt Patauinitas ista de qua diximus non vtcunque agnosci aut coniectura informari posset.

Itaque dum ad historiam aggreditur Liuius verbis illis, *Facturus ne operæpretium sim si à primordio Vrbis res Populi Romani perscripserim*, multa sunt quæ limatas aures atque inprimis in Ciceronis oratione exercitatas offendant. ac primò quis horridi ac subduri illius initij *Facturus ne operæpretium sim si*, non miram offensionem & asperitatem semel atque iterum sentiat? & hinc est vt multi in dies suspicati sint mendosum esse locum: aliqui etiam vt asperitatem lenirent, emendauerint ac libris vulgauerint; *Facturus ne sim operæ-*

pretium. sed temerè: nam Quintilianus perspicuè testatur Liuium sic planè scriptum reliquisse *Facturus ne operæpretium sim*, atque illos qui aliter legendum putarent coarguit. ex quo etiam intelligitur nõ modò posterioribus seculis verùm etiam ante Quintilianum cœpisse multos initio isto commoueri & offendi. nam iam tum à quibusdam emendatum scribit. Deinde non modò hexametri exordio interim Liuius vtitur, quod Quintilianus obseruat, verùm etiam hexametro toto. quin duobus hexametris fermè integris, spondaicis tamen dactylicis: quare dum his pedibus incedit oratio

Factu rusn'ope ræpreti umsim s'apri mordio
Vrbis respopu liRo mani perscri pserim.

si vltimam primi carminis litteram (quod in Virgilio fit non semel) copules cum prima sequentis carminis, iustum carmen habeas primum etsi spondaicum ferè mox alterum non dissimile item spondaicum vnita tantùm pedis vltimi repugnante syllaba. Vt propterea suspicer Sallustianum illud

Bellum scriptu russum quod Popu lusRo manus
Cum Iugurta Rege

imitari atque adeò superare, sed præpostera tamen industria, voluisse. Huc accedit quod operæpretium facere Ciceroni ac Romanis auribus facilè erat inauditum. nam & Terentius & Cicero & Horatius *operæpretium est* dixerant, (atque ideo operæpretium est cognoscere, recordari, audire, & similia vsurparunt frequenter) *operæpretium facturum*, minimè, & tamen Liuius non modò operæpretium facere, aut operæpretium habere, sed operæpretia mereri dicere non dubitauit. Sed & dum propositam sententiam verbis claudit illis *Nec sat scio, nec si sciam dicere ausim*, continuóque causam huius dicti affert, pergens, *quippe qui cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt*, sinè dubio est subobscurus (quam enim rem veterem ac vulgatam videt?) ac fortasse mãchus: si enim dixisset, *quippe qui cum veterem tum vulgatam esse*

rem

rem videam ut id noui polliceantur scriptores dum semper aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte uetustatem superaturos, credunt; plana esset sententia. sed dum ea aut similia omittit, obscurus ac truncus est. neque verò dubitarim Liuium hoc in loco tum in Thucydidis tum in Polybij spectasse initium atque vtrique inuidiam conflare voluisse, dum ille res magnas & superioribus memorabiliores pollicetur, hic omnes ait eo principio vti consueuisse vt veram disciplinam exercitationémque ad res ciuiles historiam esse dicant, cum tamen id sibi praetermittendum statuat dum rerum nouitate allicere omnes possit. sed tamen id nescio quo pacto minùs perspicuè de Graecis expressit ac deriuauit, dum illis, quippe magna, admirabilia, noua trito more pollicentibus, clam obtrectare moliretur. Atque huius sanè ordinis ac rationis loci plurimi occurrunt in Liuio, ita vt nō desint qui hac de causa illum excutere, emendare, dilucidáre, explanare nitantur, vt tantum, si quomodo possint, inuidiam vel extinguant vel leniant.

At enim isthæc fortasse Liuium ipsum coarguere possint vel inscitiæ vel negligentiæ; Patauinitatis certè, quasi verò Patauino more interim loquutus sit, nullo modo. Rectè sanè. Et idcirco pergam equidem vt doceam Liuium (id quod instituеram) Cæsari, Sallustio, Curtio posthabendum, Patauinitatis causam, vel quia suspicionem meam declaraui satis, vel quia Pollio per inuidentiam vt obscurè sic temerè loqui potuit, vel quia desperem posse inconditas Liuij voces aut sub duram locutionem in Patauinum sermonem planè referri (nam in verbis quibusdam id quidem suspicari licet dum patrijs vocibus interdum quisque decipitur, demonstrare certè in præsens non licet) non peruestigabo longiùs. Igitur historicis istis posthabendum Liuium inde videor mihi suadere posse quod non modò negligens appareat qui scripserit se pro virili parte Populi Romani memoriæ consulere decreuisse, & tamen deinde tam multa & uaria præterierit: tam sæpè historiæ suę fidem in discrimen adduxerit; tot tantísque concionibus & auguriorum portentorúmque commemorationibus, hoc est ociosis & uerbis & rebus, hi-

storiam infercierit atque compleuerit, inprimisque dispari & immoderata rerum distributione Romanam historiam monstrosum in modum coërcuerit aut dilatauerit; verùm etiam quòd elocutione (quicquid de Patauinitate sit) nullo modo cum illis conferri possit. neque enim aut à Cæsare candore & proprietate ac presso perspicuóque dicendi genere, aut à Sallustio æquabilitate, grauitate, aptáque numerorum varietate, aut demum à Q. Curtio concinnitate, elegantia, suauitate non mirificè superatur: quandoquidem verbis, numeris ac scribendi genere sæpenumero Poëticus est Liuius: interdum etiam horridus & quodam veluti squalore obsitus: periodis verò nonnunquam tortuosus, inæquabilis, longior, incompositus. denique si conciones ferè exceperis in quibus etiam temerè passim & alieno loco eius exultat oratio, inconcinnus, turgidus, spinosus, durus: quin, vt ex varijs hausit fontibus, sibi etiam stylo dissimilis longè ac varius. Atque hinc est vt si quando perspicuè ac suauiter ac summatim commodè narrare aliquid cœperit (neque enim hoc inficias ierim) breui ad ingenium redeat, & ad dumeta ille sese recipiat sua. Itaque dum Annibalem in Italiam deducit, Poëticus ac turgidus apparet supra quam ferri possit. *Tum* (inquit) *quanquam fama priùs, qua quidem incerta in maius verò ferri solet, percepta res erat, tamen ex propinquo visa montium altitudo, niuesque cœlo prope immixtæ, tecta informia posita in rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines intonsi, inculti, in animaliaque omnia rigentia gelu, cætera visu quàm dictu fœdiora terrorem renouauere.* sic Liuius. qui sanè vt se turgidum adhuc & Poëticum ostenderet, sic pergebat. *Erigentibus in primos agmen cliuos, apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani: qui si valles occultiores insedissent, cohorti in pugnam repente, ingentem fugam stragemque dedissent.* At quid non Poëticum sonant paulò post ea verba; *Equi maximè infestum agmen faciebant; qui & clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant, & icti fortè aut vulnerati adeò consternati sunt, vt stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent.*

Sed

Sed Annibalis oratio quam prætereieram, quid non Poëticum aut asperum & turgidum sonat? *Mirari se* (inquit Annibal) *quinam pectora semper impauida repens terror inuaserit. per tot annos vincenteis eos stipendia facere. neque ante Hispania excessisse quàm omnes gentesque & terræ eæ quas duo diuersa maria implectantur, Carthaginiensium essent. indignatos deinde quod quicunque Saguntum obsedissent, velut ob noxam sibi dedi postularet Populus Romanus Iberum traiecisse ad delendum nomen Romanorum, liberandumque orbem Terrarum. tum nemini visum id longum, cum ab occasu Solis ad exortum intenderent iter: nunc postquam multò maiorem partem itineris emensam cernant; Pyreneum saltum inter ferocissimas gentes superatum: Rhodanum tantum amnem, tot millibus Gallorum probibentibus, domita etiam ipsius fluminis vi, traiectum. in conspectu Alpes habeant, quarum alterum latus Italia sit, in ipsis portis hostium fatigatos subsistere, quid aliud Alpes esse credentes quàm montium altitudines? fingerent altiores Pyreneis iugis nullas profectò terras cœlum contingere, nec inexpugnabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli gignere atque alere animantes, peruias paucis esse, exercitibus inuias? eos ipsos, quos cernant, legatos non pennis sublimè elatos Alpes transgressos. nec maiores quidem eorum indigenas, sed aduenas Italiæ cultores has ipsas Alpes ingentibus sæpè agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modo tutò transmisisse. Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti quid inuium aut inexpugnabile esse? Saguntum vt caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse?* atque his sanè verbis parem asperitatem ea referunt quæ paulò ante scripserat Liuius. *Iam paratas aptasque habebat pedes lintres. eques ferè propter equos nantes nauium agmen ad excipiendum aduersi impetum fluminis parte superiore transmittens, tranquillitatem infra traijcientibus lintribus præbebat. equorum pars magna nantes loris à puppibus trahebantur, præter eos quos instructos frenatosque ut extemplo egresso in ripam equiti usui essent, imposuerunt in naues. Galli occursant in ripam cum uarijs ululatibus, cantuque moris sui, quatientes scu-*

ta super capita, uibrantesque dextris tela: quanquam & ex aduerso terrebat tanta uis nauium cum ingenti sono fluminis, & clamore uario nautarum & militum, qui nitebantur perrumpere impetum fluminis, & qui ex altera ripa traijcientes suos hortabantur. Iam satis pauentes aduerso tumultu, terribilior ab tergo adortus clamor, castris ab Hannone captis: mox & ipse aderat, ancepsque terror circumstabat. hæc & alia plura quæ describere longum esset, turgida & Poëtica in primis habet Liuius dum Annibalem traducit in Italiam. Nam illud

Hæc ubi dicta dedit, stringit gladium, cuneoque,

Et illud

Additur & Perusina cohors——& numeris & stylo Poëticum est totum. Quapropter Silius Italicus dum canet secundum Punicum bellum in Liuij hæret uestigijs non sinè compendio maximo, verba quoque ipsa interdum vsurpãs. Et sanè illa est Liuij oratio quę (quod Platoni adolescenti in Phædro contigit) sæpè inter pedestrem stylum & Poëticum incedit media: ita ut uerbis, numeris, figuris, cultu solutior sit ac negligentior quàm Poësis: contra verò astrictior ac tumidior quàm pedestrem sermonem deceat. *Tum uerò* (inquit Liuius) *ingenti sono cælum strepere, & inter horrendos fragores micare ignes, capti auribus oculis, motu omnes torpere;* vbi tumidus ac ferè Poëticus est. *Eaque uti* (scribit rursus) *rata scirent fore, agnum læua manu, dextra silicem retinens, si falleret, Iouem cæterosque precatur Deos ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, & secundum precationem caput pecudis saxo elisit.* quibus sinuosus ac ferè Poëticus videri item potest. Quid multa? eò Poëticis grassatur vocibus ac numerosa tumet dictione, ut non defuerit qui cum historiam diceret aliud nihil esse quàm solutam Poësim, id ex Liuij dictione & stylo tentauerit demonstrare cuius tamẽ definitionis & opinionis fides sit apud authorem. Etsi enim non me latet Quintilianum scripsisse historiam esse Poëtis proximam & quodammodo carmen solutum, veruntamen id (si quis rectè æstimet) affirmauit non tam ad germanos ac proprios virilis historiæ numeros & moderatam cõstitutio-

nem intendens animum, quàm ad historicorum multorum vsum ac libertatem. cum enim doceret qua cautione Oratori esset hauriendum ex historia, monebat historiam quippe quæ non tam præsentibus quàm posteritati seruiret, inprimis verò ab historicis ad ingenij famam captandam reuocaretur, liberioribus & verbis & figuris instructam esse: vt nimirum non tædium, sed delectationem afferret. alioquin pudica historia quemadmodum alijs multis ita sermone ac stylo, hoc est verbis, numeris, figuris, cultu à Poësi distat quam longissimè. Minus igitur quàm par est à Poëtica dictione (si me audias) abest Liuius. tametsi non est cunctandum affirmare aliquando etiam periodis manare longiús ac serpere, ita vt non modò pedestrem & historicam breuitatem nõ colat & longitudine sententiarum fatiget legentis animum, verùm etiam numeris vaga, dissimilis ac fortuita, interdum etiam vasta & incondita, procedat oratio. Vt propterea qui Liuij eloquentiam tantopere extollunt, illius concionibus quæ venustæ quidem sunt & concinnæ ac lepore salibúsque refertæ, deliniti & capti fuerint. pudicæ ac virilis historiæ virtutem, & qualis eam deceat cultus ac dictio, fortasse non attentiùs (aut ego quidem magnopere fallor) animaduerterint. Nam qui dubitant num M. Tullius historiam vbi scripsisset, Liuium æquasset, ij mihi quidem parum abesse videntur quin musicam Marsiæ & Apollinis contentionem ac Midæ iudicium renouent. Itaque Liuius in epistola quadam filium ad Eloquentiam aspirantem hortatur vt Ciceronem diligẽter euoluat & imitetur primùm, tum cæteros prout quisque est Ciceroni simillimus, de suis scriptis ne verbũ quidem: quæ tamen si ea tanti ipse fecisset, filio item, Ciceronis exẽplo, legenda proposuisset. Et profectò si M. Tullius ocium aliquando nactus esset, aut per Antonij improbitatem diutiùs ei viuere licuisset, quam tantopere optabat historiam ita perfectè scripsisset, sic eam omnibus numeris absoluisset, vt nequaquam futurum fuisse dubitem quin germana perfectæ historiæ Idea nobis extaret ac forma. Quanquam ea sunt illius scripta quæ, si numeros & modos, quemadmodum in tibiarum aut fidium cantu, tantisper re-

mittas,

mittas, facilè eius dictionem ad historiam referre. & cum Cæsariana & Curtiana temperare possis: quin orationibus exceptis & epistolis quibusdam plenioribus, nihil ferè est apud M. Tullium quod ab industrio historico & nauo non vsurpari commodè possit ad historiam scribendam. Imò verò in orationibus quoque multa sunt quæ historicam dictionem propemodum imitantur, cuiusmodi sunt narrationes & descriptiones multæ, *Bellum graue & periculosum* (in Maniliana inquit narratione) *vestris vectigalibus atque socijs à duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate & Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam esse arbitratur. equitibus Romanis honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie litteræ, quorum magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me, pro necessitudine quæ mihi est cum illo ordine causam Reipublicæ periculaque rerum suarum detulerunt. Bythiniæ, quæ nunc vestra Prouincia est, vicos exustos eße complures; regnum Ariobarzanis; quod finitimum est vestris vectigalibus, totum eße in hostium potestate. Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere: huic qui succurrerit non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: vnum ab omnibus socijs & ciuibus ad id bellum Imperatorem deposci, atque expeti: eundem hunc vnum ab hostibus metui, præterea neminem. Causa quæ sit, videtis: nunc quid agendum sit considerate.* sic in Maniliana Cicero. nec aliter in Liciniana. *Erat* (inquit) *Italia plena Græcarum artium & disciplinarum: studiaque hæc & in Latio uehementiùs tum colebãtur quàm nunc ijsdem in oppidis; & hic Romæ propter tranquillitatem Reipublicæ non negligebantur: itaque hunc & Tarentini & Rhegini & Neapolitani ciuitate, cæterisque præmijs donarunt: & omnes qui aliquid de ingenijs poterant iudicare cognitione atque hospitio dignum existimarunt. hac tanta celebritate famæ, cum esset iam absentibus notus, Romam venit Mario Consule & Catulo. nactus est primùm Consules eos quorum alter res adscribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere poßet. statim Luculli cum prætextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt.* Et pro Roscio

Amerino. *Interea iste T. Roscius vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit; in prædia huius inuadit; hunc miserum, luctu, perditum, qui nondum etiam paterno funeri iusta soluisset, nudum eijcit domo, atque focis patribus dijsque penatibus præcipitem, iudices, exturbat: ipsæ amplissimæ pecuniæ fit dominus: qui in sua re fuisset egentissimus: erat, vt fit, insolens in aliena: multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio refouebat: non pauca suis auditoribus largè effuseque donabat, reliqua constituta auctione vendebat. quod Amerinis vsque cò visum est indignũ vt vrbe tota fletus gemitusque fieret.* Quod si adhuc Sallustianam illam breuitatem ac celeritatẽ desideras, *Quintius* (inquit alibi) *porro istum posse facere videbat: debere, intelligebat; mentiri, quia causa cur mentiretur non erat, non putabat. Quasi domi nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturum. Nauium certiorem facit. rogat ut curet quod dixiset.* Et paulò post. *Quintius à Scapulis paucos dies aufert. in Galliam mittit vt ea quæ proscripserat, uenirent; deteriore tempore absens auctionatur. Scapulis difficiliore conditione dissoluit. tunc appellat vltro Næuium, vt quoniam suspicaretur aliqua de re fore controuersiam, videret ut quamprimùm, & quàm minima cum molestia, tota res transigeretur. dat iste amicum M. Trebellium, nos communẽ necessarium qui istius domi erat educatus, & quo vtebatur iste plurimum, propinquum nostrum Sex. Alphenum. res conuenire nullo modo poterat: propterea quod hic mediocrem iacturam facere cupiebat, iste mediocri præda contentus non erat. itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coegit.* Quid? tertiæ Catilinariæ narrationẽ percurrite ab illis verbis *Interim tertia ferè vigilia exacta* (neque enim eam persequar quod sit longior) atque intelligetis rem non dissimili à Sallustio narrari stylo. Nam historicum illud dicendi genus quo Cæsar delectatur, Sallustius multò maximè gaudet, *Vbi primum adoleuit, equitare, iaculari, cursu cum æqualibus certare*. & rursus, *Milites perculsi tumultu arma capere; alij sese abdere. pars territos confirmare, trepidare*, non despectum sanè fuit M. Tullio vbi historico more ac celeriùs paulò narrandum esset. *Hic Iudices ridere* (inquit M. Tullius in Oratione pro Cluentio) *stomachari.*

ri atque acerbè ferre. Et in Verrina II. *Cursari iste homo potens: paternos amicos, hoc est diuisores, appellare omnes & conuenire*. Et rursus *Verres venerios in domum Schenij mittere: equites circum agros eius villasque dimittere*. Nam si, quod alicubi scribit Cicero, & Quintilianus confirmat, Theopompeo more circũscriptione quoque ambitúve in historia vtendum ac veluti in orbem includẽda, vel in quadrum redigenda, oratio, neminem habeas quem Ciceroni anteferre sed ne æquare fortasse valeas. Vt propterea Liuius (si me audias) quemadmodum Cæsari, Sallustio, Curtio historica dictione est inferior, ita cum M. Tullio conferri haud possit quin interuallo quam longissimo superetur.

At enim si ita est, verẽdum erit ne Suetonius, Iustinus, Tacitus, etsi quisquam est præterea ex historicis qui dicendi laude floruerit, illi adhuc anteponendus sit. Minimè verò. Nam licet Suetonius prudentia, fide, ac diligentia illũ superet (mirum est enim quantopere hic probetur antiquitati, & quàm luculentos historicæ dignitatis habeat testes) dicendi virtute sinè dubio inferior est. siquidem quo tempore scripsit Tranquillus, ceciderat Latinitatis honos, & sanum illum veluti succum & sanguinem amiserat quo Augusti ætate viguerat floruerátque. Quapropter non minus verè quàm appositè Seneca, *Quidquid habet Romana facundia quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quæ lucem nostris studijs attulerunt, tunc nata sunt. In deterius quotidie data res est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum velociùs quàm ascenderat, relabatur*. sic Seneca. cui sanè & Tacitus & Gellius & Plinius & Macrobius, & Quintilianus, & alij multi mira consensione subscribunt. Quapropter fateor quidẽ Suetonium Latinis historicis omnibus quotquot cum Latino adhuc sermone veluti spirante consecuti sunt quemadmodum ætate sic dicendi gloria præstitisse, quin Paterculo etiam & Tacito qui minùs ab incorruptæ latinitatis seculo abfuerunt, emendatiùs scripsisse; Liuio tamen non dico historiæ sed eloquentiæ seu latinitatis (hanc enim vel maximè spectamus hoc loco) laude fuit inferior. Atque hinc etiam (ne sim longior) indicasse velim

De Suetonio.

De Tacito, Iustino & aliis.

quid

quid de Tacito (de quo etiam diximus alibi) quid de Iustino, quid etiam de cæteris omnibus ad interitum vſque Latini ſermonis exiſtimem. Quamuis enim poſt Auguſti ſeculum ſic præceps ierit Latinus ſermo, vt non omnes qui deinde extitere Latini hiſtorici (latinos appello quibus latinus ſermo vernaculus eſſet) à dicendi laude peræquè abſint aut vitio pares ſint, ſed paulò nitidiores alij, alij obſcuriores, (atque inter hos quidem Iuſtinus nitidior ac ſuauior videri poteſt: ita vt Suetonium quoque ſaltem ſuauitate quadam & venuſtate ſuperet) nullus tamen ſanæ illius orationis & perbeatæ quæ Ciceronis & Auguſti tempore floruiſſet, quaſi colorem ac viriditatem refert. Vt propterea M. Tullius, Cæſar, Salluſtius, Curtius, Liuius, (iudicio tamen & quam oſtendimus cautione adhibita & moderatione) maximè omnium colendi & imitandi ſint in conſcribenda Hiſtoria.

Finis Libri Secundi.

DE HISTORIA
LIBER TERTIVS.

HISTORIÆ intelligenter legendæ ratio conquirenda.

HISTORIÆ legendæ ratio conquirenda nobis & commonstranda est in præsentia: præsertim verò vt in tanta historicorum multitudine ac rerum varietate de ordine constet quo illorum monumenta sint peruolutanda. Ita fiet vt tum ijs consulatur qui studio tenentur historiæ, tum cæteri ad hoc studium pulcherrimum alliciantur faciliùs & incendantur. Qua in re expectet facilè quispiam vt ab amplissima & generali historiæ diuisione initium ducam: idque illam in sacram primùm & profanam distribuens: tum duo ista genera in suas partes ac formas diuidam ad vltimas vsque & indiuiduas: mox etiam qua ratione & quorum historicorum lectione formæ singulæ cognoscendæ sint, edoceam. Mihi verò in hanc rem attentiùs intuenti, atque huiusmodi partitionem etiam atque etiam reputanti, multis difficultatibus impedita visa est semper: A quibus tamen, quoniam res altiùs esset repetenda, ac spinosa fortasse & perdifficili disceptatione peragenda, supersedere lubet in præsens. Nec minora offendas impedimenta si rerum gestarum narrationem quadripartita Mundi ac decursi æui ætate distribuas, ita scilicet vt primo loco ea facta requiri velis quæ ad diluuium vsque & Noë contigere: tum quæ à diluuio ati electi populi parentem Abrahamum: mox quæ ab Abrahamo ad humani generis Liberatorem: ad extremùm quæ à

Vnde in hac conquisitione incipiendum: & quàm lubricum sit à tritis quibusdam historiæ diuisionibus ordiri.

Liberatoris ortu ad seculum hoc fluxere nostrum. Nam præterquam quod sacra historia cum profana interim intemperantiùs misceretur, profectò post diluuium Monarchiæ, Regna, & gentiũ propagationes occurrãt plurimæ, quæ omnia quoniã partim ante Abrahamũ cœpere, maiori etiã ex parte illum consecuta sunt, debita veluti iunctura & collocatione careant. Idem dixerim si quis tripartitò historiam distribuat: ita vt prima pars in naturalis legis tempus conijciatur: altera à scripta lege Mosisque tẽpore ad Christum vsque legémque gratiæ deriuetur: postrema ab gratiæ lege & Euãgelio ad præsentem ducatur ætatem: inuenias enim tum Græcorũ & Latinorum tum verò Barbarorũ facta sic nexa & disposita, aut etiã diuulsa & dissipata, vt diuisione ista, nisi confusè ac perturbatè, distribui & cõcludi nequeant. Etenim si eos imiteris qui Monarchias sequuntur, plurima vel deserenda tibi sint, quæ ad Monarchias nihil attinent vel temerè cum illis coniungenda: multa etiam (id quod partitionem istam irritam faceret) cum vna partim, partim cum altera, consocianda. vt præteream Monarchijs absolutis nouam excogitandã rationem vnde ordinentur consequentia. Nam dum aliqui historiam nescio quo pacto quadripartitò distribuunt, nimirum in Dininam, Ecclesiasticam, Naturalem, Humanam, ij mihi tum naturalem inconsultè huc videntur intrudere, tum Ecclesiasticã à Diuina non necessariò dissociare. Denique cũ Ecclesiastica, præsertim si à Diuina distinguatur, humana censenda sit, humana aliqua è contrario Ecclesiastica, imperitam planè & confusam esse partitionem istam nemo non fateatur. Nam qui rursus historiam tribus coërcent generibus, diuino, scilicet naturali, humano, ac diuini nomine Deum résque expertes interitus; naturalis animantium plantarum, &, vt ipsi loquuntur, naturales causas & progressiones, humano humanas actiones & præcepta intelligunt; interdum etiam quartum addũt genus quo Mathematicas comprehendant, vereor ne omniũ absurdissimi videantur. nam quid est hoc aliud nisi diuinã humanámque Philosophiam cum historia confundere, ac rei, de qua agitur, notionem penitus ignorare? Sed quæ tutior sit partitio & quo

Quo tandem progrediendũ ordine:& quæ in eo requirã- tur qui intel- ligẽter tracta- re cupit Hi- storiam.

pacto historiæ adhibenda, si tamen adhibẽda ac terenda sit, aliunde constabit non multò post. Interim, mea quidem sententia, illa & commodior & breuior sit historiæ non dicam partitio sed tractandæ ratio, vt qui vniuersam rerum gestarum atque adeò germanæ historiæ cognitionem expetat, his veluti gradibus ad eam contendat. Ac primus sit latinæ linguæ cognitio. etsi enim hæc vel me tacente, ad historiam lon-
I. gè latéque peruolutandam necessaria cuique videri possit, id tamẽ monuisse primùm volui, quòd in latina historia nobis versandum maximè sit, atque ex ea fructus inprimis vtilitatésque capiendæ, quas proximo libro cõmonstrabimus. Denique ex cæteris linguis, siue antiquas velis siue recentes, omnigenam historiam petere haud possis, ex quibusdam etiam vix pauca, ex aliquibus fortasse paucissima & propemodum nulla; ex latina omniũ ferè gentium originem, leges, mores, facta, dictáque prope omnia cognoscas. siquidem latina historia Hebræam primũ & Græcam excepit: mox Barbarorum quoque asciuit facta, quæ pleraque vernaculo essent exarata sermone. Itaque in hac licebit tibi placidissimè ac tutissimè cursum tenere: ex hac exempla vitæ desumere, ac prudentiam deriuare: hinc orationis vbertatem & copiam haurire, ac stylum excolere; in hac summatim magna cum vtilitate versari: tempus quoque atque otium incredibili cum voluptate traducere ac fallere. Hic primus veluti gradus.
II. Alter ille sit, terreni huius Orbis descriptio seu Geographica cognitio. Quapropter historiæ cupidus Terræ globum antea sibi proponat, cuius cognitionẽ tum generatim ex Cosmographia; tum distinctè ex Geographia, capiat non indiligenter. Ad quam rem cum Aristotelis liber ad Alexandrum (si tamen est Aristotelis) conferat in quo eleganter ac ferè historico more ac modo, narratione scilicet non disceptatione, Mundus priùs, tum is qui ex aqua & terra conflatur globus, & generatim & per partes (primarias tamen) ponitur ante oculos; tum Ptolomęi aliorúmque multorum industria: inter quos Ortelium & recentiores præstat consulere, vt tum Regiones quas nouit antiquitas explorentur clariùs, tum America, ac nouus, quem vocitant, Terræ cognoscatur Orbis.

Qua

Qua in re qui didicerit primùm qua ratione certis veluti nexibus Mare cum Terra copuletur atque adeò vnum efficiat globum, quaéque sit huius tum diameter, tum ambitus; ac num verè Terra cingatur Atlantico, ita vt insula censenda sit, & qua se in terrarum sinus effundat mare; tum verò tripartita vel potiùs quadripartita huiusce Orbis seu globi diuisione facta, ad minores vsque Prouincias deuenerit, earúmque didicerit situs, & quàm longè ac latè quæque distet à Polo, is optimum historiæ cognoscendæ iecerit fundamentum. Neque verò tibi interim dum in his versaris, de istorum gentibus locorum, multóque minùs de rebus gestis quærendum: (de his enim postea) sed vnus Terræ globus quantus est tum vniuersim tum statis diuisionum finibus explorandus cognoscendúsque; ita vt maria, terrarúmque tractus rectè teneas, & quibus quæque regio terminetur finibus non te lateat. Nam quemadmodum ijs qui Maratonem eiúsque ambitum ac situm vníuersum perspectum haberent apud Græcos, facilè intelligere licuit quô inter Milciadem & Persas dimicatum esset, cum Maratonis prælium commemorari ac veluti designari audirent, cum tamen is qui esset ignarus loci, facilè hæreret, & obscurè facta illa perciperet; ita qui Terrarum situs ac partes habuerit exploratas, faciliùs ac maiore etiam cum voluptate res à mortalibus gestas perdiscet.

III. Postremus gradus ad Chronologiã pertinet temporúmque rationem, sinè qua in historiæ campo minùs fœliciter verseris ne dicam temerè. Tantùm enim momenti habet Chronologia ad Historiam, vt nemini cursum in ea tenere diu liceat qui saltem mediocriter non sit gnarus temporum. Et quanquam in scriptore ipso historiæ iandiu à nobis requiritur Chronologiæ peritia, vt tum suis quæque temporibus disponat ac digerat, tum varias temporum rationes, quoniam non eâdem Historici vtuntur omnes, conferre valeat; tamen quia in Historicos interdum incidimus, qui vel temporum ignorant seriem, vel eius non magnam rationem habẽt, aut si habent, minùs cõmodè adhuc cum ijs agatur qui Chronologiæ planè sint rudes, nec intelligãt satis qua historici vtantur œconomiam temporum & varietatem; conducat sanè

plurimum Chronologiam degustasse prius: quin vt totius æui facta lustrentur faciliùs, non degustasse modò sed hausisse largiùs. Qua in re cum Eusebij aliorúmque multorum Chronologia vsui esse poterit, tum maximè Genebrardi Chronographia. Interim tamen illud hîc quoque cauebis vt ne gentium origines ac genealogias aut etiam res gestas ex Chronologia requiras, sed temporum rationem & œconomiam inprimis discas. nam ex Chronographis videas aliquos genealogias ac res gestas cum Chronologia coniungere; cum tamen res gestæ ac Genealogiæ sint historiæ partes, ac propterea seorsim & suo quæque loco à nobis sint cognoscendæ. Denique quoniam in præsens non historiam sed historiæ præsidia requirimus, quibus tandem muniti ad historiæ campum descendamus, Geographia & Cosmographia priùs est perdiscenda, tum res gestæ conquirendæ sunt & cognoscendæ. Iam verò his cognitis ad historiam ipsam tutò descendere liceat: vbi non incommodè ceciderit si ab mortalium Genealogia (hanc enim alteram esse historiæ partem, qualis qualis ea sit, ac formam docuimus) ac varia gentium origine initium fecerit, & quas paulò ante Mundi regiones Prouincias nudas lustrauerit & vacuas, has homines subeuntes cernat & occupantes. A primæuo igitur hominum ortu & propagatione incipiens, primò sibi mortalium parentes in Damasceno agro (nam ibi conditos protoplastos nõ difficilè est cognitu si quis sacrã ac primam historiam consulat & meditetur) constituat ante oculos, vt inde tanquam à centro lineas, propagari videat mortales, qui terram incolant, atque humanum veluti disseminent genus. ita quidem huiusmodi propagatione hominum genus tum ad diluuium vsque auctum, mox diluuio penè extinctum, post paulò mirificè redintegratum, ac longè latéque fusum, multos Terrarum tractus Insulásque tenuisse intelligat. Ad quam rem tum sacrarum litterarum studium Iosephíque historia conferet, tum aliorum quorundam inprimisq; Vvolfgangi Chronologica symphonia, & Genebrardi Chronographia cõducet plurimum. Hinc enim perdiscas nõ solùm à posteris Sem, Cham, Iapheth, Asiã, Africam, Europam.

Prior historiæ forma, hoc est hominum Genealogia, primo loco perdiscenda; & vnde.

ropam obtentam, verùm etiam quem planè Scytæ, quem Medi, quem Thraces, quem Ægyptij, quem reliquæ fermè gẽtes ad extremos vſque Hiſpanos Iberóſve, quibus Thubal fuit author, parentem habuerint. Ita ſanè quoniam hiſce genealogiis Terrarum quoque diſtinctio, occupatio, atque aliæ res geſtæ inſertæ ſunt multæ ac diſſeminatæ, ſinè dubio veriſſimam perindeac vetuſtiſſimam hiſtoriæ formam agnouetis. Quanquam ijs deinde præſtat attexere quæ multarũ gentium conſecutæ origines ſunt ac ſucceſſiones. licet enim eæ ſunt genealogiæ vt interrumpantur facilè aut obſcurentur; cum præſertim gentes quotidie tum pelli ac migrare tum linguam noménque mutare contingat. haud tamen multorum defuit induſtria qui pro ſuis quique regionibus gentis originem ac propagationem poſteris conſignarunt. Tametſi aliquos etiam reperias qui gentium omnium origines propagationéſque diligenter perueſtigarint, ac longè latéque perſecuti ſint. Inter quos (vt totam hanc primam hiſtoriæ formã claudamus) præter Strabonem, Volaterranũ, & huiuſmodi alios, Euſebium habes & ſectatores: Zonaram quoque (etſi alicubi cautè legendus eſt) Nauclerum, Vuolfgangum, & qui pro multis eſſe poteſt, Genebrardum rurſus, qui diligenter audiendus eſt. Nam in ijs qui aut minùs generales genealogias perſecuti ſint ad certos quoque Vrbiũ populos deſcendentes, quoniã ſunt propè innumeri, & verò plerique in promptu ſunt, non moramur. Ita demum ijs expoſitis quæ ad origines & genealogias tã in ſacra quàm in profana hiſtoria pertinent cognoſcẽdas, ad res geſtas quas ex Annalibus, maximè verò ex fuſiore hiſtoria præſtat haurire, proficiſcar. Porrò autẽ hîc iam agendũ nobis eſt de altera Hiſtoriæ forma, quam Genealogię è regione collocauimus & in rebus geſtis poſitã eſſe oſtẽdimus. Qua quidẽ in re cogimur (id quod in priore forma nõ neceſſe fuit) bipartitò illã diſtribuere: nimirũ in diuinam & humanã, ſeu ſacrã (vt me planiùs explicẽ) & profanã. Sacrã verò appello quæ ſacris primũ litteris tũ Eccleſiaſticis monumẽtis continetur: cuiuſmodi ſunt Pontificũ ſucceſſiones, Concilia, acta Martyrũ, Põtificiæ ſanctiones, fidelium diuinique cultus propagatio, quaéque ſiue ab hęreticis,

Altera Hiſtoriæ forma: quę rebus geſtis cõtinetur, continenter euoluenda.

Priùs tamen diſtribuitur in ſacrã & profanam.

siue à Schismaticis, siue à Catholicis ipsis passa sit res Christiana ac summatim eorum œconomia quibus orta adoleuerit peregeritque ad hanc vsque ætatem ac diem. Qua in re vt me ijs liberem dumetis aut salebris in quibus rem versari docui ab initio, dum nullam quæ mihi satisfaceret, partitionem inuenirem, nihil huc ex profanis vel gentibus vel factis reuocari vetem quæ sacris rebus gestis & Ecclesiasticis intelligendis conferre possint: quemadmodum ad profanam quoque historiam ea patiar transferri quibus iuuari queat eius cognitio, alioquin nihil est cur sacra cum profanis misceantur, aut profana sacris adhibeantur. Et quidem ad sacram historiam cognoscendam conducet rursus eam in duas secare partes: quarum prior ea doceat quæ ab ortu Mundi ad Christum vsque gesta sunt: altera quæ à Christo ad nos sunt consecuta. Porrò in priore habes, præter sacros veteris Testamenti seu fœderis libros, Iosephum, Eusebium, & qui hunc secuti sunt, Ecclesiasticos Historicos multos: Bedam quoque Adonem Viennensem, Zonaram, Sigebertum, Belluacensem, Sabellicum, & alios non paucos, tum verò Thomam Bozium ciuem meum qui ex sacris humanisque monumentis longa commentatione eratam historiam propediem consignabit monumentis. Nam de sacris Augustini Tornielli Annalibus, quos ipse Baronianam œconomiam imitatus ab orbe cōdito (sic enim inscribuntur) ad Christum vsque confecit, nihil dicam, quòd eos, vt modò in lucé prodeunt, mihi haud dum percurrere licuerit. In posteriore verò præter sacros noui Testamenti libros & Eusebium & Ecclesiasticos fermè scriptores cæteros, quos modò commemorabam (nam ad Christi quoque seculum & consequentia pleraque pertinent eorum historiæ) Gothofridum, Viterbiensem, Vuolfgangum, Genebrardum rursus (quanquam hi tres priori quoque sunt adhibendi) & qui fermè instar omnium esse potuisset si opus absoluisset, Cæsarem Baronium. De quo sanè quoniam in propria quam de Baronij Cardinalis Annalibus iandiu edidimus disputatione, verba fecimus, nihil attinet dicere hoc tempore. Illud tamen vnum monebo Ecclesiasticos Baronij Annales cum reliquos huius

Sacra rursus in duas partes tribuitur.

De Priore.

De Posteriore.

ordinis historicos diligētia & copia superare, tum (nisi te lon gitudo deterreat ac prolixitas, atque inprimis liberiores in finitimos campos excursiones, rerúmque varietate ac multitudine interpellata series, retardet ac torqueat, aut interdum suspiciosæ tibi ac lubricæ illius coniecturæ videantur) longè ac latè nos instituere posse & erudire. Nunc sigillatim ad profanam in qua mihi quidem constitutum est à Romana incipere. neque enim inter profanas historias vlla est quæ rerum gestarum magnitudine ac multitudine cum Romana conferri possit; Quapropter quæ de C. Cæsaris ac Cn. Pompeij victorijs & factis pronunciauit M. Tullius, ea fermè ad Romanæ historiæ amplitudinem breuiter indicandam videor mihi afferre posse. Nullius enim tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia quæ, non dicā exornare, sed enarrare res à Romanis gestas possit. Itaq; si quis sibi ante oculos, ponat omnia exterarū gentium potentissimorúmq; populorum aut etiam clarissimorum Imperatorū ac Regum vel Rerumpublicarū facta, sentiet cum Romanis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Denique (vt me planiùs explicem) quas in summo Imperatore virtutes requirendas, in Pompeio verò ad miraculum suspiciendas, M. Tullius docuit, scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem, has omnes in Romana Republica vnicè demiremur necesse est., inter quas fortitudo inprimis enituit ac militaris virtus, qua sæpius cum hoste conflixit quàm aliæ Respublicæ omnes cum inimicis concertarint: plura bella gessit quàm quisquam mortalium legerit: plures Prouincias confecit quàm nationes cæteræ concupierint. cuius veluti adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis sed suis imperijs, non offensionibus belli, sed victorijs, non stipendijs sed triumphis traducta est. Neque verò vllum genus belli fuit in quo Romanos nō exercuerit fortuna Reipublicæ. Italicum multiplex, Siculum, Africanum, Hispaniense, Transalpinum, mixtum ex ciuitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, Achæum, Asiaticum, Illyricum, &c,

De profana. Ac priùs de Romana: q̄ sit omniū prę stantissima. Romanæ Historię pręstantia qualis & quanta.

ne confecter omnia, feruile, nauale, ciuile varium: quæ sic etiam gessit & confecit vt nulla res in vsu militari sit posita quæ Romanorum scientiam ac virtutem effugeret. Neque tamen est quod in presentia eas vnas militares Imperatoriásque virtutes in Romana Republica probemus & admiremur, quæ vulgò existimantur, laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in prouidendo, quæ tanta fuerunt in hac vna, quanta in omnibus reliquis gentibus quas aut vidimus aut audiuimus, non fuerunt: verùm etiam splendorem ac decus, vel potiùs inauditam quandam ac penè diuinam amplitudinem & gloriam agnoscamus & celebremus. Testis est Italia, sed quid dico Italia? Europa vniuersa ac totus ferè Terrarum orbis. cum de tribus Terræ partibus vel vnus Romanorum Imperator tres insignes triumphos reportauerit, Itaque multò facilius sit propemodum stellas quàm Romanorum triumphos ac trophæa percensere. Facilius sit etiam cœli decus & pulchritudinem dicendo referre & exæquare quàm huiusmodi triumphorum pompã & maiestatem orationis stylo exprimere. qualem enim imaginem triumphi illius fuisse dixeris in quo vno expugnatæ arces mille, deuictæ vrbes nongentæ, captæ depressaéve naues octingentæ, diuersæ inter se gentes quæ Populi Romani Imperio additæ essent, quatuordecim, numerarentur, & operosis simulacris effictæ nóbilíque pompa circumferrentur? Nam de clarissimis Senatoribus ac summis Ducibus & Imperatoribus sat sit monuisse Alexandri speculatores Romanorum Patrum maiestate perculsos retulisse, quot Romę Senatores, tot se Alexãdros inuenisse. sapientissimũ verò Pirrhi legatũ Cineam interroganti Regi qualem offendisset Romam, respondisse statim, Regum se patriam vidisse: taléſque sibi visos Senatores singulos Romæ qualis Pirrhus in Epiro ac reliqua Græcia videretur. Vt propterea exteræ gentes ac nationes habeãt vnde Romanorum facta terra maríque sinè vlla satietate mirentur, ac Romanæ Reip. nomen extollant, cui propterea socij toto Terrarũ orbe obtemperarint, hostes obedierint, venti tempestatéſque obsecundarint. præsertim verò quia tum tandem Imperij fines non terræ sed cœli propemodũ regio-

nibus terminasset, inuidiam fama, famam gloria, gloriam vir tute superauit. Quid plura? ad eam peruenit amplitudinem ac dignitatem quam sperare incredibilis fidētiæ, tentare heroicæ fortitudinis, perficere diuinæ propè virtutis atque inaudıtæ fœlicitatis, censendum sit, ita factum est vt omnem rerum humanarum vsum prætergressa quasi Solis æmula, breui omnes Terras suo splendore compleuerit, ac proximum cœlo caput extulerit. Quin etiam nihil erit cur cæteri populi fateri vereantur Romanam virtutem ac maiestatē, quoniam non in Regibus modò & Consulibus, verùm etiam in Augusto, Traiano, Constantino atque alijs Imperatoribus multis adhuc enituit ac floruit, non amplitudine solùm, ac gloria, verùm etiam diuturnitate ac fœlicitate posteris gentibus amplissimum admirationi, exiguum aut nullū æmulationi, reliquisse locum. Ex quo fit vt Romana historia siue præstantia & dignitate, siue admiratione & pulchritudine, siue vtilitate ac iucūditate, humanas historias reliquas quam lōgissimo superet interuallo. Neque verò hæc dixerim quod Græcam historiam contemnam, quam vnus vel Themistocles vel Alexander nobilitare ac supra multarum gentiū historias efferre potuit; siquidem, qnantumuis floruerit, amplitudine & magnitudine nec diuturnitate ac varietate Romanam æquare potest: præsertim verò cū quidquid de Grçcorū fortitudine ac fęlicitate dixeris, id Romanorū fęlicitati ac virtuti extollendæ valeat a quibus Græci facilè domiti ac superati sunt. Denique Græci ad vnum Orientem propagarūt dominatum qui breui quoque extinctus est. præsertim verò cū Alexander Regnū sibi cōparasse potiùs quàm regnasse videatur. Romani contra in omnes Mundi plagas dilatarunt Imperium, quo diu etiā potiti sunt. Vt propterea illi per medias laudes breui cursu, hi veluti quadrigis, ad diuturnæ gloriæ metam delati sint. Scio Pœnos etiam Romanis fuisse infestos; & vt Carthago antiquitate, diuitijs, situ, militari scientia, imperij magnitudine, terra marique præstabat, cum Romanis de Imperio Terrarum orbis dimicasse: quin etiam vix quicquā absuisse quominus Pœni Romā expugnauerint, ac Romanæ Reip. Imperij spem vnà cū libertate ademerint.

Sed

Sed tamen breui quoque ex vna Cornelia gente Carthaginiensium domitores progenuit extulítque Roma: qui Annibalis furorem vnà cum audacissimis Africæ æmulis & Carthagine ipsa deleuit. Fuerit igitur vt acer Pœnus intractati instar equi, cuius etiam inuenti capitis augurio bellici principatus spem conceperat ac fundatæ Vrbi nomen dederat, Romanis ferociter insultauerit ac penè Imperij spem omnem ademerit; quandoquidem vt equus etsi ferocissimus ac bello aptissimus ab homine frenatur ac domatur, sic Pœnus a Romano qui humani quod effoderat, capitis auspicio. Vrbis arcem condiderat eidémque Capitolij nomen tribuerat, frenatus, victus ac domitus est. Ita quidem iure optimo elegans Poëta de Romana cecinit Vrbe

Terrarum Dea gentiumque Roma:
Cui par est nihil, & nihil secundum.

iurè quoque alter,

Gentibus est alijs tellus data limite certo:
Romanæ spatium est Vrbis & Orbis idem.

sed magnificentiùs Poëtarum princeps.

His ego nec metas rerum nec tempora pono.
Imperium sinè fine dedi. ——

Nam si cui tandem Romanum Imperium diem clausisse videatur tantum abest vt nulla illi meta, nullus finis fuerit a Deo præfinitus; huic reputandum quoque est diligenter Romanam Imperij maiestatem non tam extinctam esse quàm melioribus auspicijs sub Constantino atque alijs Imperatoribus commutatam. quantum enim Romæ terrena potestas diminuta est, tantum cœlestis, quæ sanè terrenam (qualis & quanta sit) comitem habet, est dilatata; ita vt ad Antipodas vsque longè ac latè propagata toto perseueret ac floreat æuo. Igitur ad Romanam historiam omni cunctatione abiecta deuenio; de Græca & Barbara dicturus, vbi in Romana longè ac latè versatus fuero, & Romanæ historiæ legendæ ac penitus cognoscendæ rationem commonstrauero. Quanquam enim illa est Romana historia ex qua veriùs omnium gentiũ quàm vnius populi facta perdiscas, ac multò plus vtilitatis capias quàm reliquis historijs omnibus (sacram semper excipio)

cipio) referre liceat, veruntamen Græcæ quoque & Barbaræ rationem ac vim sigillatim obseruare iuuat & commonstrare.

ROMANAE HISTORIAE LEGENDÆ RATIO.

VT Romana historia intelligenter vtilitérque legatur, tria inprimis prospicienda sunt. Primum est vt priùs non negligenter Romanę Vrbis finitimorúmque locorum descriptionem & situm seu Topographiam, mox Italiæ, denique totius Europæ, Africæ quoque Asiaéque Geographiam perspectam habeamus. Etenim intra Latij Etruriaéque fines sic nos primò detinent Romanæ historiæ scriptores vt necesse sit singulos etiam Vrbis colles, ac totam eorum locorum positionem exploratam habere. Mox ex ijsdem finibus sic nos educunt vt finitima loca omnia ab Infero mari ad Vmbriam vsque cognoscenda, ac veluti tabula benè picta ante oculos habenda sint, eodémque modo non multò post hinc Etruria reliqua illinc Lucania cum finitimis populis lustranda erit: vt ab vtroque mari ad Padum Italia circumspicienda sit vniuersa. Denique procedente tempore ex Italia tum in Siciliam, Sardiniam, Africam, tum ad Ligures Insubrésque trans Padū, tum ad Illyricos & extremas Alpium radices, nos euocant. paulò post in Hispaniam ac trans alpes in Germaniam, Galliam, & (vt dicam breui) in Europam reliquam Asiámque compellunt. Vt propterea Geographiæ cognitio quæ etiam sinè Cosmographia perfectè acquiri nequit, (id quod etiam antea generatim docuisse & nunc sigillatim in Romana historia demonstrare placuit) tenenda sit. Porrò autem Romanæ Vrbis situm vt explores antea, Marlianus inter cæteros, Pomponius Lætus, P. Victor, Onuphrius, tibi vsui esse poterit, quæ etiam antiquæ Vrbis ac finitimarum regionum desi-

IN ROMANA HISTORIA LEGENDA TRIA MAXIME REQVIRI. I.

designationes extant pictorum aut typographorum opera, non inutiliter consulantur. Tametsi cum eo qui vniuersæ Vrbis situm, colles, ædificia, ruinas ipsas longè latéque spectarit oculis, agatur cōmodiùs. At verò cum littoralis Etruriæ ac Latij, quibus ab infero mari cingitur Vrbs, tum Sabini, Crustumínique ac Fideni agri, quo ab Oriēte clauditur, Vmbriæ item quàm in Mediterraneam Etruriam incurrentem ad Septentrionem Vrbs spectat, situm ex Plinio, Solino, aliísque multis obserues licet. Denique Regionibus cæteris cognoscendis in quas Romanos penetrasse diximus, Geographi tibi cum generatim (hos ipse commonstraui antea) tum pro singulis Prouincijs præsto sunt plurimi. Hoc primum de Romana historia cogitanti tenendum est.

II. Alterum vt rerum gestarum ordinem ac temporũ seriem, quæ duo memoriam maximè subleuant, attentissimè persequamur: ídque a priscis vsque Vrbis temporibus ad nostra hæc tempora per Reges (Latinos primùm seu Albanos tum Romanos) Consules, Decemuiros, Tribunos militum, qui etiam non semel sed varijs temporibus Consulũ occuparunt authoritatem, Imperatores denique tanquam filo per manus ducto, progredientes. Et quanquam superiorum quoque annorum ac temporum notitia non inutiliter pararetur, præsertim verò propter eos qui altiùs, hoc est à primis Italiæ incolis seu gentibus, Romanam ordiuntur historiam, ipse tamen totius anteacti temporis seriem & cognitionem ijs tantùm necessariam iudicauerim qui vel à Mundo condito, vel à prima gentium Monarchia & Imperio, auspicantur historiam. Denique qui Romanam historiam altiùs & à primis Italiæ incunabulis repetunt, ij non tam id necessitate faciũt, quàm vt vel curiosissimis satisfaciant, vel maiorem amplitudinem ac dignitatem suis monumentis adiungant. etsi hinc aliquid etiam lucis ad res narrandas accedere, nihil est quod dubitemus. Hæc vt Romanam historiam intelligenter legamus.

III. Vt verò vtiliter, addatur tertium. Etenim prospiciendum est diligenter vt quoniam historia est magistra vitæ, &, quãta quanta est, moribus ac vitæ instituendæ referenda in primis est (quam tamen rem, ne institutum Romanæ histo-

riæ ordinem ac filum interim abrumpam, in sequenti libro prosequar sigillatim) accuratissimè obserues, quę aut Reipublicæ Regnóque regendo, aut familiæ moderandæ, tuis denique consilijs & institutis domi foriſque, siue quid tecum agas, siue cum alijs contrahas, temperandis, seruire possint: noxijs quæque dignitati honestaéque vtilitati haud vsui sint reprobatis.

His verò positis & constitutis, in quorum primo te gnarum, in secundo memorem; in postremo cautum, in omnibus alterum ferè Argum, optarim; in Romana historia cognoscenda LIVIVS DVX ESTO. Tametsi vel vt multorum eius librorum iacturæ consulatur (ex XIV. nanque Decadis, vix primam, tertiam, quartam, & aliquam partem quintæ retinemus) vel vt præclarissimæ Romanorum historiæ vberior adhuc notitia habeatur, erunt cum Liuio alij subinde historici multi iungendi, alij etiam in Liuij locum sufficiendi, aut ei (si opus fuerit) præmittendi idque in hunc modum.

Romanę historiæ scriptores, & quo ordine legẽdi sint, & inter se p partes mutuoque iungendi.

Cum Liuij initio ad Amulium vsque cæsum, Numitorémque in Regnum à nepotibus restitutum, iungendus est Dionysius Halicarnasseus, qui libro primo ferè toto ea complectitur omnia, quæ Romanæ Vrbis ædificationem antegressa sunt. Itaque id totum quod Liuius duabus fermè primis paginis perstringit, Dionysius integro prope libro fusè admodum ac scitè persequutus est. Quanquam eo adhuc (ne id te lateat) discrimine, vt Liuius à Troianis, quippe vetustissimis Romanorum parentibus, eorum ducat exordium quæ Romanæ Vrbis ædificationem antecessere. Dionysius contra eius Regionis habitatores altiùs repetens à Siculis & Aboriginibus incœperit, & ab his per intermedios, sensim ad Troianos, ab his ad Latinos Reges deuenerit, donec ad Romulum Romanæ Vrbis peruenerit cõditorem. Et quamuis Liuius in procemio verbis illis, *Quæ ante conditam condendamque Vrbem Poeticis magis decora fabulis quàm incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est*, videri posset vtcunque Dionysium traducere & carpere, veruntamen is author licet à fabulosis (quod ipse fatetur) ne quid prætermittat, incœperit, eruditus, grauis,

QVAE VRBIS ædificationem antegressa sunt.

uis, accuratus, denique aureus est totus (id, qui eum legerit, sentiet facilè) ac propterea dignissimus qui diligenter peruolutetur. Quin Liuius in procemio profitetur se res septingentorum annorum repetere instituisse, cum tamen vnica prima Decade res sexcentorum quadraginta annorum comprehendat vel potiùs percurrat. Ita vt vix in tertia Decade qua res duodeuiginti annorum copiosè prosequitur, seriò agere cœpisse visus sit. Ita demum quæ Dionysius primo libro ferè toto persequitur dum antiquissimos Latij ac Romanæ regionis populos & exinde xv. Latinorum Reges recenset, ea Liuius partim reticet partim attingit quambreuissimè: vt propterea Latinorum Regum Imperium ac successionem non tam narrare quàm subterfugere videatur.

Cum his tum Eutropius capite I. II. & III. libri primi (is à Iano suam orditur historiam) tum Florus (hic ab Æneæ incipit aduentu) ad initium est coniungendus. quamuis vt ille breuissimus est, hic epitome Liuium colligit tantùm, ex ijs fructus interim exiguos capias: sed iungendi tamen: vt quoniam sæpè nos deseret Liuius, Dionysij verò bona pars intercidit (ex xx. enim libris IX. priores tantùm asseruantur) Flori quoque & Eutropij assuescamus historijs quibus multò vtiliùs vtemur aliquando. Denique his adiungi potest tum Plinius Secundus de Viris illustribus, qui à Proca Romuli Auo ducit exordium: tum, si placet, Zonaras qui volumine II. ad initium ab Æneæ aduentu Vrbis arcessit primordia. Et quanquam in his videri potest cum Virgilio partim, partim cum Liuio (vnde incompertum habeo) partim denique cum Plutarcho consentire, ac proinde actum agere, verumtamen hic Author, mea quidem sententia, si non diligentissimus, certè planus est ac qui legatur non indignus.

VRBIS ÆDIFICATIO.

Tum verò vbi ex dictis authoribus ea cognita fuerint quæ nos sensim ad Romanæ Vrbis ædificationem non sinè magna vtilitate deducunt, legenda et t Dionysij tum pars postrema libri primi (inde scilicet vbi de Numitore mentionem inijcit, & ædificatæ Vrbis tempus ac miram authorum dissensionem & varietatem prosequitur) tum libri II. pars

prior

prior, quæ res à Romulo gestas ad obitum vsque continet.

Cum hoc erit coniungenda Liuij pars secunda libri primi, hoc est à Numitore in Regnum restituto vsque ad Romuli mortem. REGES ROMVLVS.

Plutarchi Romulus.

Eutropij caput quartum.

Flori liber primus siue pauca quædam primi libri verba: eiusdem caput 1. libri 1. de Romanorum gestis. Quibus tamen (vt te semel de toto hoc monumento admoneam) non tā Romanorum facta, perinde atque in Liuiana epitome, perstringit omnia, quàm Reges & bella fermè seligit & ex ordine commemorat singula: quibus ciuiles etiam discordias admiscet: Romanum interim Imperiū hominis instar quadripartita exprimens ætate, quasi verò à pueritia per iuuenilem virilémque ætatem ad senectutem deuenerit.

Plinius de Romulo Romanorum Rege. & ex posterioribus Zonaras de Vrbis ædificatione & Romulo. Atque hæc ad Romuli obitum vsque.

Quod si quis cum recitatis authoribus alios adhuc misceri cupiat, is (lubet enim curiosissimis etiā tātis perindulgere) Paterculum legat libro 1. vbi Romanæ Vrbis ædificationem & politiæ constitutionem si nō absoluit (breuis nāque lacunosa & mutila eius apparet historia in qua conquiescat diu) originem certe describit totam. Solinum libro 1. capite item 1. & in priore 11. parte. Pauli Orosij caput 1. libri 11 Sex. Ruffum de historia Romanorum cap. 1. & 11. Nam de recentioribus multis, qui propositis historicis inhærent toti (quanquam hos etiam semel tandem percēsebimus, & cui quisque antiquitatū parti adhibendus sit cursim saltem indicabimus) sigillatim nihil attinet dicere nisi tamen superuacaneum planè laborem suscipere atque otio abuti velimus. Quin si cui hactenus Halicarnasseus, Liuius, Plutarchus sit satis, huius ego iudicium haud ausim reprehendere: præsertim verò si Dionysium consulat diligenter. Tanta enim in hoc vno apparet industria siue Vrbis situm & Topographiam, siue Regionis incolas varios, siue ædificationem ipsam Vrbis

bis & amplificationem, siue publicæ administrationis rationem & variam gentis distributionem (quæ sanè ad Romanam Historiam cognoscendam valet plurimum) siue demum quæ à Romulo militiæ gesta sunt, requiras, vt nihil absolutius expeti possit aut illustrius. Cum tamen isthęc in historicis reliquis magna ex parte sint requirenda: idque ne Liuio quidem excepto. Etsi enim is Romanam historiam sibi scribendam proposuit ab primordijs Vrbis, iussitque *ad ea sibi quenque intendere acriter animum quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros quibusque artibus domi militiæque & partum & auctum Imperium sit*; veruntamen quæ ad primam eámque præclaram sanè & admirabilem, Romanę Reipublicæ formam pertinent, & quibus artibus ab initio domi partum sit Imperium, omnia ferè prætermittit. Itaque Vrbi condendæ auguria præmittit & sacrificia, in quibus nō negligens (fateor) videri potest; de ædificatione ipsa verbum nullum, quin augurio sacrificióque descripto, ædificatione verò posthabita, ad leges descendit: vbi *Iura* (inquit) *dedit*. præterea nihil. Denique centum Senatores creatos commemorat, statimque ad Sabinarum festinat raptū. quasi verò temerè ex Auunculi consilio tantopere desudasset Romulus de multitudine in tribus, curias alióſque ordines digerenda, legibus sanciendis, Republica tota paci militiaéque idonea constituenda. Tu, si placet, in Dionysio priorem libri II. partem percurrito, & senties Liuium interim reuera cum Dionysio conferri nullo modo posse. Vt magnopere verear ne Liuius (id quod indicare antea cœperam) vnam ferè posterioris seculi, hoc est à secundo bello Punico; in quo etiam Polybium fermè sequitur, historiam sibi scribendam suscepisset. Tametsi res quoque ab Vrbe condita delibarit ac monumento præposuerit suo, quòd totius Romanæ historiæ scriptor haberi cuperet. Nisi tamen eum prima quæque primis proxima sunt, indicasse; media partim delibasse, partim denique perstrinxisse, dicas, quòd ad posteriora (quam sanè rem ipse satis indicat) festinaret. Æquo igitur animo feram si quis interea in Halicarnasseo sit totus, vel certè vnū Plutarchi Romulum, quoniam accuratus & eruditus videri

ri

ri poteſt, cum Halicarnaſſeo coniungat. cæteri authores curioſis, vt dicebam, morem gerant.

Quodſi ne adhuc quidem à curioſitate illi temperent ac de Romulo Vrbiſque origine atque adeò antiquitate vniuerſa rimari omnia cupiant, euoluāt per me licet Portij quoque Catonis Origines; Myrſilum Lesbium de Origine Italiæ: Q. Fabium Pictoré de aureo ſeculo & Origine Vrbis Romæ, & C. Semproniū de Italiæ diuiſione & Vrbis origine. nemo enim non aliquid offerat ad primæuā Romanæ vel Vrbis vel Regionis & antiquitatis notitiā. Iuſtinū præterea lib. XLIII. Valerium Maximum cap. II. libri III. & cap. III. libri V. Lactantium lib. I. cap. X. & XI. & lib. II. cap. VII. Auguſtinum lib. II. de Ciuitate Dei cap. XVII. & lib. III. capite VI. XII. XV. quid multa? Ouidij Faſtorum liber primus aliquid afferat adiumenti ad Romanam antiquitaté. Naturalis quoque Plinij Hiſtoria quibuſdam ſparſa eſt quæ ad Romulū & Vrbis originem, quin (ne de his ſæpiùs dicendū ſit) reliquā Vrbis antiquitatem pertinent: quæ tamen perquirere atque colligere imméſi ferè laboris eſſet atq; operis, vſque adeò minutè ac variè diſperſa ſunt. & hac de cauſa quoniā ad fragméta quoque hiſtoricorū ſemel deſcendi vt morem curioſis gererem, illud vnum peruelim vt viciſſim mihi largiantur iſti: nimirum vt impoſterū (ne ſcilicet ſæpè aut minuta quæque longéque diſperſa quæritare cogar aut tanquam de cupa ne dicam de fœce haurire vel etiam hiſtoricam facultatem alicui oſtentare, videar) eos Hiſtoricos aut ea hiſtoricorū fragmenta præterire mihi pro arbitratu liceat quæ nullo nobis vſui videantur. quibúſcum eos etiam numero, quos ſanè, quoniam actum planè agunt, ac ſæpè curſim ne dicam negligenter agunt, non neceſſe ſit peruolutare aut proferre. Sed ad penſum.

Porrò legéda ſunt rurſus in Liuij I. quæ tū ad Romuli interregnū, tū ad Numā pertinét. Mox in Halicarnaſſeo poſterior II. libri pars ad finé vſq; in qua parte Interregnū ac Numæ Regis creatio, res geſtæ, obitus continétur: ac, ſi cum Liuianis cōferantur, copioſè ſatis. Liuius enim trium & XL. annorum regnū ſic cōplectitur, vix vt creationem ſacrorúmq; inſtitutioné commemoret, ídque breuiter. contra Dionyſius NVMA.

alia tum de Republica & legibus tum de Vrbe, agro & primis de illius vita & fœlicitate, prosequitur multa.

Plutarchus in Numa vbi pleraque attingit nõ indiligẽter.

Eutropius capite v. qui de more breuissimis rem verbis absoluit.

Florus lib. I. qui tamen duabus lineis (vt ita dixerim) rem concludit: & de gestis Romanorum lib. I. capite II.

Plinius de Numa Pompilio Rege; seu capite III.

Zonaras (nam Paterculi historia à Romulo ad bellum vsque Macedonicum sub L. Æmilio Paulo gestum interijt tota) de Romuli interregno & Numa.

Solinus cap. II. in quo septem Reges (ne nos moretur amplius) percurrit, & quẽ quisque incoluerit locum docens, conditæ Vrbis tẽpus explorat atque ad Augustum vsq; subducit.

TVLLVS HOSTILIVS.

Succedit Liuij I. vbi de Tullo Hostilio.

Mox Halicarnassei libri III. pars prior.

Eutropius capite IV.

Florus lib. I. & de gestis cap. III.

Plinij caput IV.

Zonaras in Tullo Hostilio

} vbi de Tulli Regis creatione, rebus gestis, obitu.

ANCVS MARTIVS & L. TARQVINIVS.

Rursus Liuij Ancus Martius & L. Tarquinius.

In Halicarnasseo posterior libri III. pars, in qua habetur Anci Martij & L. Tarquinij Regnum.

Eutropius capite VII. & VIII.

Florus lib. I. & de gestis cap. IV. & V.

Plinij Ancus Martius & Tarquinius Priscus: seu ca. v. & vi.

Zonaras de Anci tum vero Tarquinij, Regno.

SERVIVS TVLLVS. TARQVINIVS SVPERBVS.

Sequitur in Liuio Seruius Tullus tũ verò Tarquinius Sup̃bus

Halicarnasseus libro IV.

Eutropius capie IX. & X.

Florus lib. I. & de gestis cap. VI. & VII. quibus VIII. addatur, quod est de VII. Regibus; & IX. de mutatione Reip.

Plinij Seruius Tullus: mox Tarquinius Superbus seu caput VII. & VIII.

Zonaras de ijsdem: qui etiam copiosus videri debet.

Hæc

Hæc ad Romanam Historiam cognoscẽdam ad exactum vsque Tarquinium ac Regiam authoritatem extinctã. Nunc ad Consules deueniam: si tamen vnum atque alterum, fortasse testium quoque, addidero.

Primum est septem istos Reges ex Halicarnasseo & Liuio CCXLIV. annis regnasse, nimirum.

Romulum XXXVIII. } Tarquinium Priscũ XXXIIX.
Numam XXXXIII. } Seruium Tullum XLIV.
Tullum Hostilium XXXII } Tarquiniũ Superbum XXV.
Ancum Martium XXIV.

Tametsi aliqui propter annũ qui inter Romulum & Numam intercessit CCXLV. numerant. Nam dies ac menses qui præter integros annos in singulorũ vita seu regno numerarentur, quique propositũ CCXLIV. annorũ spatium vtcunque vel minuere uel augere possent, requirere intẽperantis esset quique curiositate ineptire uiri. tãtum dicã longè uerisimile uideri posse in Regum ætate (nam in Coss. eiusmodi dubitatio cadit nulla) postremum annũ cũ ferè expletus esset aut ultra dimidium processisset, fuisse ab historicis numeratũ: contra verò qui à dimidio abesset, neglectum: ita vt quędã veluti cõpensatio secuta sit. Alterum est inter Romulum & Numam, hoc est in ipso Romuli interregno, Decẽuirũm Magistratũ siue Imperium authoritatémq; cœpisse: de qua etiã non omnes eadem planè scribunt. Illud tamen certum est ad annum productum esse: ita vt hoc planè tempore nõ post quadraginta circiter à primis Consulibus annos Decemuirũm dominatus in Vrbe sit auditus. Atque hæc sunt quæ commemoranda putaui antequam à Regibus progrederer ad Consules.

Quãquam (vt fatear id quod est) summopere uereor ne dũ breuitati studeo, illud prætermiserim de quo maximè admonendus est ingenuus historiæ amator. dum enim in Romana historia (atque hinc iam subnectam tertium) sigillatímque in Regia offerunt sese quamplurima in quibus non magnopere conueniunt, sępè etiam toto cœlo dissident, Authores; hæc nõ facilè sunt ei prætereunda, quasi verò sat sit obseruasse discrimen; sed indicio (pręsertim si nõ leuis momẽti sint) adhuc expendenda & excutiẽda, vt quoad eius fieri possit, tenebræ dispellantur. Quare (vt rem exemplo aliquo illustrẽ) plurima

ſunt quæ de Romulo & Remo variè, interdum etiã non ſinè mutuo diſſidio, proferuntur ab hiſtoricis. Hi ex Ilia Veſtali, ex Rhea Syluia illi, ortos dicunt: hi eos faciunt Martis filios quòd illa in Martis téplo ſeu luco cõpreſſa fuerit: alij quòd ab Amulio ipſo qui Martis ſpetie armatus clã ſeſe illi obuiã dederit, vim paſſa ſit: alij quòd à Martis Sacerdote fuerit violata. & tamé qui ingenij dexteritate ré peruaſerit excuſſeritq;, facilè intelliget tum vnã eandémq; eſſe Iliam & Rheam, tum ad turpitudiné minuendã, fortè etiam ad diuinitaté aliquam proli affingendã, facinus vafrè Marti tributũ. Sed & illi Romulum cũ fratre proiectum in profluentem iuſſu Amulij, hi Numitoris opera clã Fauſtuli fidei cõmiſſos, dicunt: illi rurſus lupã vltrò mãmas præbuiſſe infantibus, quin Picum quoque Martis auem cibum eis miniſtraſſe: hi Laurétiæ Fauſtuli vxori lupę nomé ob uulgatũ corpus vnde quæſtũ faceret obtigiſſe. At hîc etiã iudicium exerendũ. cũ enim priſci illi mortales inaudita libenter fingerent, & verò de diuino infantium ortu iam ſpargere famã cœpiſſent, cordati eſt nouã fabulam, qualis qualis origo fuerit, agnoſcere nõ imbibere: præſertim cum laudati authores de ſumma Laurentiæ libidine teſtes ſint. Dum verò de Remi obitu profe[r]untur uaria, atque alij à Fabio Celere murorum Præſide, alij à Romulo ipſo, alij in augurij contentione, alij in muri traiectione, occiſum dicunt, quis non potiùs opinetur in contentione illa & pugna ictum (quod Authores grauiſſimi teſtantur) cecidiſſe, quàm à fratre ipſo, ac leuiſſima illa de cauſa, interfectum? Liuius Patres ab honore appellatos monet, prætérea nihil: alias cauſas affert Plutarchus: nimirum quòd legitimorum liberorum eſſent parentes, vel ſuos ipſi parentes oſtendere poſſent: alij tamen à patronatu ob Præfecturam dictos volunt. Dionyſius illuſtriores genere ſpectataéque virtutis, &, vt ea ferebant tempora: ditiores ab inferioris fortunæ hominibus docet ſecretos primùm atque illos Patrum nomine, hos plebeios appellatos: ac Patres quidem ab ætate inprimis quódque liberos haberent claríque eſſent obtinuiſſe nomen. quis uerò non in Dionyſij ſententiam eat totus? maximè uerò cum deinde qui ex Patribus Senatores deligerentur, à Senio nomen inuenerint? Liuius

rurſus centum Senatores ſeu Patres primò creatos ſcribit; ita vt vtroſque vſurpet promiſcuè. Dionyſius contra ex Patribus deinde Senatores centum delectos docet, qui res Vrbanas Romuli nomine curarent ſi quando huic ab Vrbe cum exercitu eſſet diſcedendum: & hinc factum vt ijdem Senatores qui ex Patrum multitudine delecti eſſent, Patres conſcripti ſint nuncupati. Itaque dum non multò poſt inter Romanos & Sabinos pax conſtituitur, & ſocietas Vrbis decernitur, ex Sabinis quoque Patritij primò Romanis pares numero, tum ex Patritijs Senatores item centum creantur. Quæ omnia dum copiosè, diſtinctè, perſpicuè narrantur à Dionyſio, à Liuio vno atque altero ferè verbo attinguntur (quanquam de geminato Patrum mox etiam Senatorum numero ne verbum quidem) quis ex diligentia & perſpicuitate non intelligat cui magis adiungenda ſit fides? Quid? ait Liuius legatos à Romulo miſſos ad finitimos populos connubij petendi cauſa: atque inde aditum ſibi aperit tum elegantulæ illi & acutæ conciunculæ quam legatis tribuit, *Vrbes quoque, ut cætera, ex infimo naſci: deinde quas ſua uirtus ac Dij iuuent, magnas opes magnumque nomen ſibi facere. Satis ſcire origini Romanæ & Deos adfuiße & non defuturam uirtutem: proinde ne grauarentur homines cum hominibus & ſanguinem & genus miſcere;* tum longè acutiſſimo quod ſubijcit reſponſo *A pleriſque rogitantibus dimiſſi, & quod fœminis quoque aſylum aperuiſſent: id enim demum compar connubium fore;* cum tamen Dionyſius nec de legatis nec de reſponſis quicquam: ſed ſcribat de Numitoris conſilio raptum excogitatum. Et ſanè quis credat Romulum tam ignominioſis verbis excluſum, nuncios rurſus miſiſſe qui officiosè illos & perhumaniter ad ſpectaculum inuitarent, aut ſi iniuriam diſſimulandam putaſſet, quis credat populos illos qui ignominioſis verbis exceperant dimiſerántque legatos, paulò poſt dum ad ſpectaculum inuitarentur, offenſionem aliquam ac mutuam ignominiam non timuiſſe, ac ne vnum quidem fuiſſe qui ſaltem virgines domi relinquendas admoneret? aut quis rurſus eos tantopere deliraſſe credat vt

L 3 nubi-

nubiles virgines turmatim in eorum domos ac potestatem tam fidenter adduxerint, quos contumeliosè tractassent, & quorum connubia execrati essent? nemo opinor, nisi tamen eò nobilissimas virgines perduxisse velit quòd optarent Romanos tergeminam illis rependere iniuriam. Nam vt populi illi plerique omnes illud cogitarint *& quod fœminis quoque asylum aperuissent: id enim demum compar connubium fore*, quasi verò idem responsum omnibus in mentem venisset, id fieri minimè potuisse nemo non intelligat. ita vt hinc etiam fides Liuio adimatur. ex quo fieret vt Dionysius multò magis audiendus esset qui rem longè aliter administratam atque peractam, memorat: (rem ex eo commemorarem totam nisi prolixitatem vererer) nec populorum illorum superbia & contumelijs raptum excusat vt Liuius, sed Græcorum obtendit morem qui quas matrimonio ducerent virgines, has se dicerent rapere consueuisse. & hinc est vt Romulus postea raptu, simulato tamen, peragi voluerit connubia. Itaque Festus *Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est ex proxima necessitudine, cum ad virurum trahitur, quod videlicet ea res fœliciter Romulo cessit*. Quam rem Apuleius etiam eleganter significauit. Vt minimè mirum sit apud eundem Dionysium Romulum id causæ obtendisse dum sese excusaret, ac proinde factum, vt aliqui hoc audito, raptum tulerint moderatiùs. Hæc ex multis quæ de primo Romanorum Rege dici poterant. Num enim Rhea ab Amulio fuerit enecata, an verò in custodiam missa & à filijs deinde liberata; quod signum raptui à Romulo esset præstitum, quis fuerit raptarum numerus; per quos & quomodo inter Romanos & Sabinos pax fuerit conciliata, & id genus alia de quibus adhuc altercantur historici, præterire lubet, quòd satis indicauerim quod cuperem, historiaéque studiosos de officio admonuerim, vt iudicium accuratè ijs adhibeant de quibus aut varia aut contraria scribunt Historici. Alioquin facilè contingat vt in ijs etiam quæ ad prudentiam pertinent, hæreas deinde nisi prius veritatem diligenti coniectura perspexeris. Sed ad pensum.

Sequi-

Sequitur iam Liuij secundus liber vbi primi Consulatus res persequitur. Iungenda huic est Halicarnassei pars prior libri quinti vsque ad Bruti funus & Sp. Lucretium in demortui Bruti locum in Consulatu suffectum.

COSS. L. BRVTVS TARQVINIVS COLLATINVS.

Plutarchi Poplicolæ pars prior.

Eutropij caput XI. ad initium.

Flori liber secundus ad initium: & de gestis caput X.

Plinius de Tarquinio Collatino & L. Bruto: seu caput IX & X.

Zonaras de primis Consulibus vsque ad bellum à Porsena in Romanos susceptum.

COSS. ALII. sub quibus nō rarò Dictatorem quoque creatum inuenias.

Quæ sequuntur in eodem Liuij libro secundo continent res subinde gestas annis circiter quadraginta.

His respondet Halicarnassei posterior pars quinti libri (ducit hæc initium à Consulatu P. Valerij secundò & L. Lucretij primò) cum sexto, septimo & maiore octaui parte; hoc est vsque ad agrariam contentionem.

His iungas Plutarchi Poplicolæ partem reliquã & Martium Coriolanum.

Eutropium capite XI.

Florum libro item II. & de gestis capite XI. cui adde XXIII. quod est de prima Vrbis discordia.

Plinium capite XI. & X. sequentibus.

Zonaram à Porsenæ vsque ad legis Agrariæ turbas.

Tu verò hîc quoque per te quadraginta horum annorum historias conferre & historicorum industriam agnoscere & æstimare assuescas: nostrum enim est Historiæ filũ & œconomiam ostendere: lectoris oblata historicorum loca percurrere, conferre, examinare dijudicare. Quapropter (vt quod optarim exemplo declarem rursus: tum reliquum munus lectori deferam totum) dum Liuius scribit Tarquinium Collatinum consulatu & Vrbe cessisse ante Tarquiniorum ac nobilium illorum adolescentium extinctam coniurationem, Halicarnasseus contra dum coniuratio illa extingueretur, Bruti collegam fuisse adhuc, consulatu verò & Vrbe cessisse postea; Liuius P. Valerium in Collatini locum ante

eandem coniurationem suffectum, Dionysius post Bruti filios percussos, hæc tibi æstimanda erunt diligenter. Idem dum Liuius scribit illa vna de causa Tarquinium Consulatu abdicare coactum, & Vrbe abscedere, quòd Tarquinij nomen Romanis esset infensum; Halicarnasseus verò ea planè de causa quòd & Tarquinium Superbum cognatione attingeret, & eidem ne faueret in suspicionem venisset dum Aquilios Coniurationis principes tueri niteretur. Quæ si vera sunt, mirum profectò esset Liuium in ijs tantopere aberrasse. Quanquam enim plurima sunt in quibus fortasse Liuij fidem industriámque requiras; Halicarnassei diligentiam ac fidem mirificè probes, & tamen cum tempus quo secessisset Collatinus aut successisset Valerius, tum causam atque adeò extinctæ coniurationis rationem ignorasse Liuium, subdurum videri posset. Nisi tamen dum Tarquinius Collatinus Populo esset infensus tum ob cognationem qua Tarquinium Superbum attingeret, tum ob nomen ipsum, suspiceris Liuium non grauatè posteriorem hanc arripuisse causam vt sibi aditum aperiret conciunculæ illi, (*Consulis alterius* (Collatinum intelligit) *cum nihil aliud offenderet, nomen inuisum ciuitati fuit. Nimium Tarquinios regno assuesse. Initium à Prisco factum. Regnasse deinde Seruium Tullum. Ne interuallo quidem facto oblitum tanquam alieni regni Superbum Tarquinium velut hæreditatem gentis scelere ac vi repetisse. Pulso Superbo, penes Collatinum Imperium esse: Nescire Tarquinios priuatos uiuere. Non placere nomen; periculosum libertati esse.* Certè Plutarchus in Poplicola tum post coniurationem extinctam, tum propter cognationem noméque; pulsum affirmat. Quid plura? M. Tullius in III. libro de Officijs *Cum Collatino Tarquinio* (inquit) *collegæ Brutus Imperium abrogabat, poterat uideri facere id iniustè. fuerat enim in Regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adiutor. cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum & memoriam regni, esse tollendam: quod erat vtile patriæ consulere, id erat ita honestum, vt etiam ipsi Collatino placere deberet.* en M. Tullium quoque cognationem vel maximè pro causa retulisse: cum

tamen

tamen Liuius quem tamen in Ciceronis monumentis egregiè versatum affirmant aliqui, dixerit in Collatino præter nomen offendisse nihil: & ob vnum Tarquinij nomen Populo Romano fuisse infensum. Quanquam, vt veritas sæpè in mentem recurrit, aut aliunde sese obtrudit, non multò post Liuius Brutum inducit qui conqueritur regium genus, regium nomen, esse adhuc in Vrbe & Imperio. Quod si regium genus, Liui, adhuc erat in Vrbe & Imperio, an non præter nomen aliquid ostendebat? non ne aliud aliquid inuisum, ac multò magis quàm nomen, ciuitati erat? & tamen ne illud quidem non suspicari audes & affirmare, nimis vndique libertatem minimis quoque rebus muniendo (vt scilicet vnum nomen hinc etiam obfuisse indicares) modum excessisse. Sed quoniam lectorem satis, opinor, admonui qua cautione & industria tractandæ sint historiæ vt veræ intelligentiæ atque inde prudentiæ tutior sit locus, referam me ad institutum.

Succedat in Liuio liber I I I. in quo res complectitur XXV. fermè annorum; hoc à CCXXCIV. ad CCCIX Vrbis conditæ.

Respondet Halicarnasseus posteriore V I I I. libri parte vnde agrariam contentionem introducit, ad librum X I. ferè extremum.

In Plutarcho nihil.

In Eutropio pars posterior capitis I X. cum X I I. toto.

In Floro liber I I I. & de gestis caput X I I. cui addas XXIV. in quo secundam Vrbis discordiam refert.

In Plinio vnum caput X I I. quod est de Æsculapio Romã aduecto: quanquam ne perturbato ordine, vt alia quædam, id collocetur atque aliò pertineat magnopere dubitandum. certè à Floro videtur recenseri libro X I.

In Zonara à lege Agraria ad Decemuiratum abrogatum.

Diodorus quoque Siculus est consulendus libro X I I. vbi Decemuiros scribit Romæ designatos qui leges conscriberent populo: continentérque impudicum Appij amorem & consecutam seditionem describit.

Hîc

Decemuiri. Coss.

Hîc Vrbis anno CCCIII. à Consulibus ad Decemuiros iterum traducitur Imperium: quod tamen intra biennium expirauit & ad Coss. recidit. Atque hoc quidem expirante anno duodecim tabularum leges (sic enim propter duas additas appellantur: etsi ab initio decem essent tantummodo) prolatæ sunt. cum enim antea fermè annis octo rogatio lata esset de ferendis legibus, atque hac de causa decemuiri rursus creati, tandem à Græcis in decem tabulis acceptæ, quibus duæ postmodum additæ, Populi Rom. consensu promulgatæ sunt & constitutæ: de quibus, quoniam Liuius ac Florus breuissimè rem attingunt, tu legito Dionysium à libro x. post initium ad librum ferè extremum.

Diodorum Siculum libro XII. recitato. non multò post initium, vbi Charondæ relatis legibus, Romanos percenset decemuiros statuendis legibus designatos: ac paulò post de duabus tabulis Anco Horatio & L. Valerio Coss. ad priores tabulas additis.

Gellium libro XVIII. cap. vlt. & lib. XX. cap. I.

Plinium libro XXXIV. capite V.

Alexandrum ab Alexandro capite XII. libri VI.

Fenestellam qui copiosissimè rem prosequitur lib. de Magistratibus Romanorum capite XIV.

Pomponium lib. I. ff. tit. II qui est de origine iuris. Et in Decretis dist. VII. cap. II. & III.

Tribuni Militum. Coss. cũ Trib. milit aliquando. Non rarò etiam Tribu. milit. soli.

Sequitur Liuij liber IV. qui annos continet XLIII. hoc est à CCCIX. ad CCCLII. Qui liber eò diligentiùs est legendus, quòd ex Halicarnasseo quampaucissima iam habemus: ex Plutarcho quod attinet ad hos XLIII. annos nihil: nisi tamen Furij Camilli huc reuoces initium.

Halicarnasseus posteriore XI. libri parte, quæ tamen (vt significare cœperam) breuissima est ac mutila, nec continet nisi annos tres. Atque hîc Halicarnassei iam nos deserit historia: nobilissima illa quidem & rerum copia, ordine, perspicuitate, eloquentia, &, quod caput est, veritate sinè vlla dubitatione Liuianæ superior. Desiderantur verò IX. libri; qui sanè ad primum bellum Punicum protendebantur, hoc

est

eſt ad annum octogeſimum octauum ſupra quadringenteſimum.

Hîc verò optaſſem ego vehementer vt quiſpiam, cui nec ingenium deeſſet nec ocium, & verò in Romanis antiquitatibus nauiter verſatus eſſet, ſtylûmque ad latinam hiſtoriam exercuiſſet, Halicarnaſſei monumentum eodem annorum ac temporum ordine parique rerum vbertate & perſpicuitate perſequutus eſſet. Vt ſcilicet res Romana quemadmodum ex vno Halicarnaſſeo commodè intelligentérque perdiſci poteſt vſque ad Decemuiros ſecundò excitatos, aut etiam extinctos, ita ad Monarchiam tum in Vrbem reuocatam (quod ſub C. Cæſare & Auguſto contigit) tum demum ab Vrbe Bizantium translatam (id quod ſub Conſtantino; vnde etiam Chriſti ac Petri ſucceſſor ſuam in Vrbe adminiſtationem liberiùs exercere cœpit ac tutiùs; accidit) vnus Halicarnaſſeus, hoc eſt nobiliſſimus totius Romanæ hiſtoriæ ſcriptor produceretur (præſertim verò quia optimi Interpretis ſtudio iam latinè quoque illius nitet induſtria & ſtylus) ita quidem fieret vt ex vno eodémque authore vel certè non diſſimili res Romana vniuerſa egregiè percipi poſſet. Sed quando aliter cecidit, iámque nos Halicarnaſſeus ob temporum iniuriam deſerit, tum Liuius nobis carior exiſtat oportet; tum, quoniã Liuius etiam nos ſæpè deſeret, Florus, Plutarchus in progreſſu, Appianus, Polybius, atque alij qui ſubſidia ferent, opportunè occurrant neceſſe eſt.

Iam itaque (vt ad Romanæ hiſtoriæ veluti filum redeã) legendus eſt rurſus & cũ quarto Liuij iungẽdus libro.

Flori liber IV. totus: & de geſtis caput extremum XII. quî cum XXV. & XXVI. ſunt iungenda quæ tertiam & quartam continent Vrbis Diſcordiam.

Eutropij caput XIII. libri primi vſque ad Gallorum aduentum.

Plinij caput XXV. vbi de Cornelio Coſſo: nam quæ tum de Camillo tum de Manlio habet in XXIII. & XXIV. verendum eſt ne digeſta ſint ordine perturbato.

Zonaras à Decemuiratu abrogato ad exortum in Veientes bellum.

Quod

Quod si magnam historiæ commutationem factam clames,& rem Romanam mirificè crescentem ac propterea maiores ingenij. & industriæ neruos indies in historico requirentem,in angustum redigi doleas (in compēdia nanque incidimus veriùs & breuiaria quàm in historiam) breui, vt spero, ijs sese vindicabit angustijs, atque vberior euadet ac latior.

Sequitur Liuij liber v. qui xiv. annorum continet facta.
Flori item liber v. & de gestis caput xiii.
Plutarchi Camillus: præsertim quod attinet ad primam Vitæ partem.
Eutropij capitis xiii. pars posterior: & capitis primi libri ii. initium.
Plinij caput xxiii. ferè totum: & xxiv. pars prima.
Zonaras à Veientano bello ad Furij triumphum.

Iam verò sequitur Liuij vi. liber: ad cuius initium *Quæ ab condita* (inquit) *Vrbe Roma ad captam eandem Romani sub Regibus primum, Consulibus, deinde à Dictatoribus, Decemuirisque ac Tribunis Consularibus gessere foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui: res cum vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex interuallo loci vix cernuntur, tum quod perraræ per eadem tempora litteræ fuere, vna custodia fidelis memoria rerum gestarum, & quòd etiam si quæ in Commentarijs Pontificum, alijsque publicis priuatisque erant monumentis, incensa Vrbe pleræque interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine, uelut à stirpibus lætiùs feraciusque renatæ Vrbis, gesta domi militiæque exponentur.* sic Liuius. Itaque præstatum obseruare variam administrationis formam, quæ, Regia excepta, non semel etiā excitata fuit aut variata: tum excusatam breuitatem obscuritatémque æquo animo excipere. Tametsi reuera Halicarnasseo non probaretur, qui in eandem fermè ætatem incidit,& Annales ac monumenta, etsi Græcus genere, clariora & vberiora nactus est; Authores etiam quos sequeretur, longo commemorans ordine: tum demum meliora ab eodem Liuio expectare,

ctare. Cum VI. autem (continet hic annos XXIII. Liuij libro.

Flori item sextus est copulandus: & de gestis pars capitis XIII. extrema.

Plutarchi Camillus fermè reliquus.

Eutropij aliqua item pars capitis I. libri II.

Plinij posterior XXIII. & XXIV. capitis pars.

Zonaras à Furij triumpho ad Furium item quintò Dictatorem creatum.

Nunc verò ne quem tandiu morer, sed iam rebus per tempora digerendis assuetum, quasi liberiore cursu proueham, legendus est, In Liuio VII. liber cũ insequentibus quatuor: vel potiùs, quoniam vndecimus desideratur, cum tribus. qui sanè libri ab Furij Camilli obitu vsque ad bellum à Fabro Gurgite in Samnitis susceptam protenduntur. Cum his. Coss.

Quinque Flori iungantur libri, hoc est septimus cũ quatuor proximis: & liber I. de gestis Romanorum à cap. XIII. extremo ad XVI.

Ex Plutarcho nihil. vt propterea cum iam à Liuio & Plutarcho sæpè deseramur, intelligere satis liceat quanti faciendus sit Florus, licet epitomen potiùs quàm historiam vtrobique scribere videatur.

Eutropij reliquum caput I. libri II. hoc est à Camilli obitu.

Plinij caput XXVI. cum VI. sequentibus, & XXXIII. initio. & huc reuocandum putarim caput XXII.

Zonaras à Gallis per Furium Camillum profligatis ad Tarentini ferè belli initium.

Sic sanè habes hoc loco res gestas LXXVI. circiter annorũ, hoc est ab anno CCCLXXXVIII. vsque ad CCCCLXIV.

Dixi circiter, quia vt, hîc ad extremum desideratur Liuius ex quo consulatus ac propterea annos eruas; Florus verò & cæteri consulatus atque annos fermè negligunt, fasti contra & Chronologi in quibus Consules antíque notantur, res gestas uix attingunt vllas vnde res suo quâsque anno restituas, non facilè est hoc in loco annos ad vnum certò præfinire.

Nunc

Nunc sequuntur bella quæ XXV. circiter annis (quanquam de his postea) aduersus Gallos Semnones rursus, Samnites, Lucanos, Brutios, Hetruscos, inprimis verò contra Tarentinos & Pyrrhum Epirotarum Regem gesta sunt. de quibus bellis, quandoquidem in Liuio præter librum vndecimum qui ad Samniticum Vulsiniense & Lucanium pertinebat bellum, nouem sequentes interierunt, ac propterea secunda Decade vniuersa caremus, accuratè saltem legantur qui sequuntur authores ac libri.

Flori liber XII. cum tribus sequentibus: & I. de gestis Rom. capite XVI. ad XXII.

Plutarchi Pyrrhus.

Eutropij caput II. libri II.

Plinij caput XXXIII. extremum cum tribus sequentibus, & XXXVII. initio.

Orosij caput II. libri IV.

Zonaras qui sanè iam copiosissimus videri potest si cum cæteris (Plutarchum excipio) conferatur, ab Tarentini belli initio ad Pyrrhi interitum. ex ijs discere licet quæ gesserint Romani dum adhuc sese in Italia continerent; & terrestrem tantummodo militiam nossent. Nunc se extra Italiam inferant; ac maritimam tractare militiam discant, cum Carthaginiensibus non de finibus sed de Terrarum Imperio dimicaturi.

Sed quotum (ne annorum filum hoc est optimum historię custodem & comitem quicquam deseramus, sed quoad eius fieri potest retineamus) annum confecimus? seu quis annus ab Vrbe condita hoc loco numerabitur? Sanè res, dum Liuius hîc desideratur; Florus de more Consulatus atque annos præterit, cæteri inter se discrepant omnes, magna in obscuritate versatur. Et quidem Eutropius primum Punicum bellum (hoc enim occurret nobis è vestigio) inchoare videtur anno CCCCLXVII. Orosius CCCCXCIII. Halicarnasseus Olympiadis CXXVIII. anno tertio, qui esset annus CCCCXCVII. Polybius Olympiade CXXIX. quæ anno cœpta est CCCCXC. Eusebius Olympiade item CXXIX. sed

media ex quo fieret vt primi Punici belli initium in annum fermè CCCCXCII. incidiſſet. Sic ſanè Chronologia paulatim XV. fermè annis variaretur. Quid quod Appianus Alexandrinus qui tanto apparatu aggreditur ad Punica bella, quique maximè omnium de tempore nos edocere debuiſſet, ſcribit Siciliam à Romanis ademptam Carthaginienſibus (in hoc enim primi Punici belli exordia & progreſſiones poſitæ ſunt) ἑπτακοσίοις αὐτῆς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ, *anno ſeptingenteſimo ab eius* (Carthaginis ſcilicet) *ædificatione*? vbi annis LX. fermè ſeu LXX. ſupra CC. diſſidet à cæteris. cum enim ibidem ſcribat Carthaginem ædificatam ante Ilium captum L. annis; ab Ilio verò capto ad Vrbem cõditam fluxerint CCCCXXII. perſpicuum eſt primum Carthaginenſe bellũ, ſi huic credas, incidiſſe in annum CCXVIII. ab Vrbe cõdita & Olympiade LXI. quo quid dici aut fingi potuit abſurdius? Quanquam (Interpretis pace qui ea verba ἑπτακοσίοις δ' αὐτοῖς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο, vertit, *ſeptingenteſimo autem anno à Carthagine condita Romani abſtulerunt eis Siciliam*) ipſe pro ἑπτακοσίοις reponerem πεντακοσίοις, vnde locus ſanaretur egregiè: nam ſignificaretur à Romanis quingenteſimo anno ab Vrbe condita fuiſſe Carthaginienſibus ademptam Siciliam: verè enim quinque ferè ante quingenteſimum annũ ab Vrbe condita id contigit. & ideo pro αὐτῆς quod mendosè legitur, αὐτοῖς reponerem, & non Carthaginis, ſed Romæ intelligerem. Et quamuis reuera Vrbis ſeu Romæ nondum facta erat mentio, quia tamen fit ibidem mentio Romanorum, tacitè Roma intelligi poteſt. Vel certè voce illa αὐτοῖς retenta, Græca verba quingentis annis ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ, ſignificant non ab ædificatione ſed ab ipſa cohabitatione; ac propterea planus ſenſus eſt Romanos quingẽteſimo ab cohabitatione anno abſtuliſſe Carthaginienſibus Siciliam. Quod veriſſimè diceretur cum quingenti fermè anni numerarentur ex quo conueniſſent & (vt ita dixerim) cohabitare cœpiſſent. Alioquin Appianus ſupra quam ferri poſſet lapſus eſſet. nam Interpretem liberiùs & inprimis oſcitãter illud αὐτοῖς ad Carthaginem retuliſſe nemo nõ videt. ſed miſſo Appiano, equidem

dem

dem cum Dionysio fermè, & Polybio crediderim primum Punicum bellum susceptum à Romanis anno cccCXXCIX. quandoquidem certum est contigisse Ap. Claudio Pulchro Caudice & Q. Fuluio Flacco Consulibus. horum verò Consulatus in dictum incidit annum. Quod si Eutropius & Orosius Ap. Claudium & Q. Fabium non Q. Fuluium in Siciliam traiecisse ac primum Punicum bellum in Carthaginenses inchoasse memorant, sinè dubio Fabium pro Fuluio vel legerunt vel scripserunt non sinè errore: facilè enim fuit à Fuluio ad Fabium diuertere. Nec mirum vno aut altero anno differre Polybium tribus Eusebium. Nam hic ad Siracusas captas spectauit quæ ijs planè interiectis annis in Populi Rom. potestatem deuenere ille Romanos Olympiade CXXIX. in Siciliam transfretasse ait: cuius tamen Olympiadis annus primus respondet anno ab Vrbe condita CXXCIX. ita vt Polybius optimè nobis fauere possit. Ac profectò licet Populus Rom. paulò ante annum CCCCXXCIX. bella quæ modò commemorabam confecisset, quia tamen mox pestilentia laborauit, nil mirum si non statim in Siciliam exercitum miserit. Denique licet tantillum adhuc nutaret tempus, instaurabitur & confirmabitur ad II Punici belli initiū quod constat susceptum anno Vrbis conditæ DXXXVI.

Iam verò XXII. annorum succedunt facta: quæ fermè pertinent ad Punicum bellum primum. in quo, vt est nobilissimum ac terra maríque geritur, nobilissimi etiam optandi essent Scriptores qui nobis Liuium & Plutarchum desiderantibus, subsidio essent. Sed quoniam res non omnino succedet ad votum, diligenter saltem æstimentur quæ sequuntur, etsi breuissima, monumenta.

Flori liber XVI. cum tribus sequentibus.

Flori item liber II. de gestis Romanorū capite I. & II. vbi Romanum Imperium quasi adultum è pueritia adiuuentutem traducitur.

Plinij caput XXXVII. cum insequentibus quatuor.

Orosij pauca quædam capite III. V. VII. libri IV.

Appianus Alexandrinus tum ad initium Lybicæ seu Carthaginensis historiæ, vbi tamen attingit perpauca & vniuersim,

sim,

ſim, tum continenter ferè ab Attilij Reguli in Africam traiectione vbi quæ in 1. Punico bello in Africa geſta ſunt, proſequitur copioſè. nam quæ in Siculam hiſtoriam coniecit (hæc enim ſinè dubio ad primum Punicum bellum pertinerent vel maximè) non extant: ſed cum Macedonica eiuſdem hiſtoria periere. Quanquam, ne quid te fallat dum ex Punicis delibas quæ ſaltem in Africa adminiſtrata ſunt in 1. Punico bello, videndum eſt ne illa haurias quæ pertinent ad ſecundum aut tertium. Denique ne aberres longiùs, ſic habeto. Is eſt Appianus qui non quemadmodum hiſtorici reliqui, Punica bella proſequatur: ſed quæ in Lybia geſta ſunt in Lybicam hiſtoriam, quæ in Italia in Annibalicam, quæ in Hiſpania in Hiſpanicam, conijcit itaque II bellum verbi cauſa in tribus diuerſis hiſtorijs habetur, hoc eſt in Lybica, Hiſpanica; Italica, ſeu Annibalica. ex quo fit vt quæ in Punica ſcribuntur hiſtoria, diſtinguenda ſint, & ad tria Punica bella ſeorſim reuocanda.

Zonaras à Tarētino exacto bello ad primi Punici finem: quo in loco copioſus item videri poteſt hic author ſi cum recitatis conferatur.

Quanquam ecce tibi Polybius præſto eſt qui iam nos libro 1. & ſecundi initio prolixè ſatis de primo Punico bello edoceat. Cum his Æmylij Probi Hamilcarem iungito. ex Gellio quoque, Plinij naturali hiſtoria, Valerio Max. Frontino ſparſim aliqua delibare licet. Atque hîc ſanè vndecimus ſuper quingenteſimum clauditur Annus ab Vrbe condita.

Sequitur Flori liber xx. qui decadis poſtremus eſt, ac multa continet quæ expedito primo bello Punico geſta ſunt in Italia: eodem ſpectant quæ item Florus ſcribit libro II. de geſtis Rom. capite III. IV. V. vbi perſtringitur Liguſticum bellum, Gallicum Illyricum.

Eutropij caput I. libri III.

Oroſij caput VIII. lib. IV.

Plinij caput XLV. quà Marcellus Viridonarum vicit.

Polybij liber II.

Zonaras à fine I. belli Punici ad II. initium; vbi à Roma-

nis bellum cum Italis, Gallis, Ligusticis, Sardis, gestum commemorat. Atque hæc annis xx i i. nam quæ duobus proximis annis ab Annibale antequam in Italiam traijceret, gesta sunt in Hispania, hæc iustiùs ad i i. Punicum bellum reuocentur.

Succedit i i. bellum Punicum: in quo dum apertè pugnatur de Terrarum orbis principatu, præsto nobis erunt historici nobiles. tametsi nos ab incœpto authorum ordine non magnopere discedemus. Primus igitur esto

Liuius i i i. Decade tota: cuius oratio breuitate iam spreta manat quamlatissimè. Sequatur

Eutropius capite i i. libri i i.

Florus libro xx i. cum ix. proximis: & de gestis Rom. capite v i. libri i i.

Plutarchi Annibal (si tamen est Plutarchi) Fabius Maximus, Scipio Africanus (quisquis germanus sit huius vitæ author) Marcellus.

Plinij caput xl i i. cum v i i i. sequentibus.

Polybij i i i. & iv. aliqua etiam in sequentium librorum fragmentis offendas sed concisa & sparsim in quibus colligendis nonnihil immorari necesse sit.

Appiani Alexandrini de bello Annibalis liber: cui addenda sunt tum quæ in Punica historia de i i. item Punico bello leguntur; nam hæc qua cautione requirenda sint & decerpenda, docuimus paulò ante: tum verò quæ in Ibericis seu de bellis Hispaniensibus tradita sunt.

Orosius capite ix. x. & x i libro iv.

Zonaras ab Hamilcare & initio i i. belli Punici vsque ad Macedonici initium.

Hi inquam in i i. bello Punico Authores legendi sunt, etsi apud aliquos (ne putes in hoc i i. bello Punico esse totos) bellum cum Philippo Macedone (est hic non Alexandri sed Demetrii ac Persei pater) inchoatum aliquando & id genus alia quædam occurrent. Ita sanè, quoniam in i i. Punico bello xv i i. anni consumpti sunt, iam in DL. Vrbis annum (etsi sat scio aliquos DL i i i. Punicum i i. terminare) incidimus.

Sequitur

Sequitur inter cætera bellum Macedonicum primum: in quo legendus

Liuius lib XXXI. XXXII. XXXIII.

Florus iisdem libris: & de gestis Ro. libri II. capite VII.

Eutropius capite I. libri IV. ad initium.

Iustini liber XXX. & XXXII.

Plutarchi T. Quintius Flaminius.

Polybius in XVII. libri fragmentis ad initium.

Plinius capite LI.

Orosius capite XII. libri IV.

Zonaras de bello Macedonico ad initium.

Hi de bello Macedonico atque aliis quæ interim à Romanis gesta sunt, Historici. Tametsi ne cæsim res agatur rursus, deinceps tum Macedonicum II. & III. tum alia quæ hoc decursu temporis gesta sunt à Romanis ex ordine agnosces multa.

Liuii itaque librum XXXIV. euoluas cum XI. sequentibus: ubi iam Liuiana, quæ superest hactenus historia, absoluitur.

Flori item XXXIV. cum XIII. proximis. & de gestis Rom. caput VIII. vnà cum VI. proximis.

Eutropii reliquum caput I. libri IV. & initium capitis III.

Plutarchi Paulum Æmilium.

Paterculum: qui tandem è longo sexcentorum propè annorum experrectus somno, à primo exorditur Macedonico bello extremo, ac reliqua duo continenter complectitur.

Appianus in Syriacis vsque ad Mitridaticum bellum.

Polybii reliquum librum XVII.

Plinii caput LII. cum proximis fermè IX.

Iustini librum XXXIII.

Orosii caput item XII. libri IV.

Zonaræ partem reliquam Macedonici belli ad III. vsque Punicum. Atque hîc quidem ab extremo Punico bello II. ad tertii quod iam iam succedet, initium, duo & XL. numerantur anni: ita vt iam secundus supra DC. ab Vrbe condita excesserit annus.

Succedit præter alia quædam III. Punicum bellum, & Carthaginis ipsius euersio, de quibus omnibus, quoniam Liuius desideratur, legendus est primò

Flori liber XLVIII. cum IIII. sequentibus: & de gestis Ro. caput XV. Mox

Eutropij libri IV. caput II.

Appianus Alexandrinus in Punica historia, etsi enim rem ab ipsa Carthaginis ædificatione orditur, & I. ac II. Punicum bellum attingit quemadmodum monebam antea, sic tamen descendit ad III. vt in hoc, quoniam in Africa gestũ est vniuersum, copiosè manet eius historia.

Orosius libri IV. capite vltimo.

Plutarchus in Catone Maiore.

Paterculus lib. I. post Metelli Macedonici præconium.

Plinius Iunior lib. XV. naturalis historiæ capite XVIII. vbi scitè nonnulla.

Augustinus quoque vtiliter legatur libro III. De Ciuitate Dei non vno in loco.

Zonaras To. II. vbi III. Punico bello expedito, paucis additis ad Pompeium progreditur: cæteris fermè quę ab Carthaginis euersione ad Pompeium vsque contigere prætermissis. sic sanè ad DCVI. annum peruenimus.

Iam vrrò à fine III. Punici belli X C. fermè annorum facta hi tibi authores suppeditabunt quibus ad C. Iulium Cæsarem peruenias.

Florus in Liuiana epitome à libro LI. ad CIII. initium vbi Catilina opprimitur: & in libro II. de gestis Rom. ab initio capitis XVI. libri II. (atque hîc fermè Romanum Populum ab iuuentute eáque pulcherrima ad virilem ætatem turbidam licet ac fœdam, traducit hic author in capite XIX. secundi & XII. tertij) ad finem libri III. cum capite I. libri IV. vbi item Catilinæ habes necem.

Eutropius capite III. libri IV. ad initium vsque capitis III. libri IV.

Orosius à capite II. libri V. ad caput item II. libri VI. Dũ vero

verò Orosius & Eutropius perinde ac Florus ab Achaico bel lo ad oppressam coniurationem sic progrediuntur vt præcipua facta strictim attingant, tu (ne me iterum cæsim dicere cogas vnde legenti tædium afferam) iam assuescas aptè suis quæque locis iungere: ac bellum cum bello: factum cum facto, quoniam in Floro primùm ex ordine singula sese in cõspectum dederunt, copulare.

Plinius in libro de Viris illustribus à capite LXIV. ad finem vsque.

Sallustius de bello Iugurtino: tum suo loco de Coniuratione Catilinæ.

Plutarchus in { Tiberio & Caio Gracchis.
C. Mario.
P. Sylla.
Q. Sertorio.
L. Lucullo.
Marco Crasso.
Pompeio Magno & } ad initium.
M. Tullio. }

Appianus Alexandrinus in Mithridatica historia: Partica ferè tota, hoc est vsque ad Crassi mortem: Syriaca extrema ab Mithridate: de bellis ciuilibus lib. I. & secũdi initio, hoc est vsque ad Ciceronis Consulatum.

Dionis Cassij tres libri primi, hoc est XXXV. cum duobus sequentibus.

Xiphilini Pompeius in priore parte.

Paterculus libro I. ab euersa Carthagine ad medium librum secundum.

Zonaræ Pompeius ad initium, siue principium Imperatoriæ historiæ.

Iosephi libri XIV. de antiquitate Iudaica vsque ad caput XIV. vbi ad C. Cæsarem peruenit: & I. de bello Iudaico ad caput vsque VI.

Interim verò Plutarchum quoque & huiusmodi alios sic perleges vt Floro perinde ac superiores opportunè aptentur, ac prima primis, media medijs, postrema postremis, respondeant.

Iam verò quoniam C. Cæsaris facta patent quamlatissimè, & verò seorsim non incommodè percurri possunt, ea tibi ad Augustum vsque in sequentibus occurrant authoribus, legantur itaque

C. Cæsaris Commentarij ad finem vsque.

CAESAR Dictator perpetuus.

Florus à libro c. I I I. post oppressam Catilinæ coniurationem ad cxv I. totum, vbi Cæsar non multò post quàm Dictator perpetuus declaratus esset à Senatu, interficitur: & de gest. Rom. caput I I. libri I V.

Eutropius libro V I. à capite I I I. post initium ad finem vsque.

Orosij caput I I. totum libri V I.

Suetonij C. Cæsar.

Appianus libro I I. bellorum ciuilium.

Dionis extremus XXXVII. cum V I I. proximis.

Xiphilini posterior Pompeij pars &

C. Iulius Cæsar.

Plutarchi:
- Pompeius reliquus.
- C. Cæsar.
- Cato minor.
- M. Tullius reliquus.
- Bruti & Antonij initium.

Paterculus libro I I. à Pompeij triumphis vsque ad C. Cæsaris mortem.

Zonaræ C. Iulius Cæsar Dictator.

Iosephi liber X I V. antiquitatum capite item X I V. & multis sequentibus: & de bello Iudaico caput V I I. & V I I I. libri I.

Nec sinè quæstu aliquo legatur Cicero in Oratione pro Marcello. Iulius Frontinus non vno in loco: Valerius Max. libro I capite de prodigijs & cap. de ominibus, lib. I V. cap. V. & V I. & cap. I. libri V. Gellius libro XV. cap. XXVIII. Plinius libro II. cap XXIV. & libro VII. cap. XXV. & XXVI. Ælianus in varia historia non vno in loco. Augustinus libro I I I. De Ciuitate Dei cap. XXX. Qui tamen plerique multa habent

quæ

quæ in Pompeium quoque conueniunt. Atque hîc DCCVI. ab Vrbe condita occurrit annus.

Sequantur iam Imperatores quos sanè turmatim (etsi duos, quorum facta magnam amplitudinem ac rerum molem prę se ferunt seorsim) obijciam: ita sane ad Constantinum vsque progrediar, in quo Romanorum terminabit historia. De Augusto igitur ac Romana re tota legendus est. IMPERATORES. AVGVSTVS.

Florus in Liuiana epitome reliqua, hoc est à libro CXVI. extremo vbi C. Octauius Cæsaris hæres declaratur, ad finem vsque libri CXL. & in libro CIV. de gest. Rom. cap. II. cum IX. sequentibus. Ita sanè utraque Flori historia (etsi Augusti nondum absoluitur vita) conditæ Vrbis anno DCCXXII. teminabitur.

Suetonius Tranquillus in Augusto.

Eutropius libro VI. capite I. & II.

Dionis liber XLV. cum XI. sequentibus.

Xiphilini Augustus.

Appiani Alexandrini bellorum ciuilium liber II. cum duobus sequentibus.

Cornelius Tacitus Annalium lib. I. ad initium.

Orosius à libri VI. capite III. ad caput II. lib. VII.

Paterculus in posteriore libri II. parte.

Zonaræ Augustus. To. II.

Plutarchus in { C. Iulio Cæsare. / Cicerone item. / M. Antonio & / M. Bruto. } reliquo.

Cornelius Nepos in Attici Vita ad extremum.

Sexti Aurelij Victoris Augustus.

Zosimus libro I.

Iosephus in Iudaic. antiquit. à capite VI. libri XV. ad initium capitis III. libri XVIII. vbi diem claudit Augustus. & de bello Iudaico liber I. à capite IX. ad caput VIII. libri II. vbi succedit Tiberius.

Hegesippus de bello Iudaico & excidio Hierosolymitano lib. I. & II. ad initium vsque capitis III.

Nec inutiliter legatur Solinus capite III. vbi de anni instauratione. Frontinus sparsim.

Plinius libro VII. nat. histor. capite XLV. & alibi. Gellius libro X. capite XXIV. & lib XV. capite VII. Valerius Maximus lib. I. cap. VII. & libro VII. cap. VI. Macrobius in Saturnalibus non in vno loco.

Messala Coruinus de Augusti Cæsaris progenie: nisi tamen suspiceris adulationi potiùs quàm veritati seruire ac Virgilium sequi non historiam. certè cum Virgilio mirificè consentit atque eidem intelligendo non inutilis videri potest. Decessit verò Augustus anno ab Vrbe cond. DCCLXXXII. cum LXXVII. attigisset ætatis annum: & Imperio, si ab Cæsaris nece numeremus, LIX si à Consulatu quem XX. annum agens obtinuit, LVI. annis, potitus est.

TIBERIVS & alij ad NERVAM vsque.

Iam verò ab Augusti obitu ad necem vsque Domitiani, de Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano & Tito, Domitiano, ij tibi legendi sunt Historici.

Suetonius qui de singulis sigillatim: atque hîc Suetonij clauditur historia.

Dio libro LVII. cum tribus sequentibus: qui tamen author in Claudij obitu nos ferè deserit.

Xiphilinus qui item ab Augusti obitu ad Domitiani necem ex ordine progreditur.

Eutropius à capite III. libri VII. ad finem vsque eiusdem libri: vbi de singulis sigillatim.

Sextus Aurelius Victor eodem modo.

Orosius qui in libro VII. à capite III. ad IX. eorundem attingit vel facta vel saltem successiones.

Taciti Annalium libri XVI. qui desinunt in Nerone. & V. historiarum libri qui in Galba incipientes cum Tito intermittunt. Tametsi in Annalibus liber VII. cum sequentibus tribus desideratur.

Paterculus in fine libri II. vbi eius historia, ne dicam adulatio, expletur.

Zonaras tomo II. qui item sigillatim de singulis.

Plu-

Plutarchi { Galba & Otho }

Iosephus à capite I I I. libri XVIII.ad finem vsque libri xx. vbi in XIII.annum Domitiani eius incidit historiæ finis. & à capite VIII. libri secundi de bello Iudaico ad finem usque libri VII.vbi Titi triumphis absoluit historiam.

Hegesippus à capite I I I. extremo libri I I. ad finem vsque historiæ in qua in Titi factis perorat.

Nec sinè compendio legantur quæ habet Seneca tùm de Caligula variis in locis,tū de Claudio in lib. de ludo Mortis.

Vtiliter quoque legatur Philo Hebræus de legatione, Philostratus in vita Apollonij, Arrianus in Epitetum, Dio Chrysostomus in Concionibus; quandoquidem primus de Caligula, alter de Tito & Domitiano, tertius de Nerone atque alijs ad Domitianum vsque, postremus de Domitiano item, habet quædam non contemnenda. Adde Iulij Agricolæ vitam ex Tacito. Atque hîc clauditur annus ab Vrbe condita DCCCLXIII.

Sequatur Nerua, Traianus, Adrianus, Antoninus, M.Aurelius, de quibus legendus est NERVA & alij.

Xiphilinus
Eutropius
Aurelius Victor
Zonaras
} qui sigillatim de vnoquoque

Dio rursus, qui nos deserere visus erat; legatur quod attinet ad Neruam, Traianum, Adrianum ex Græca Georgij Merulę interpretatione, quam apud Io.Baptistam Egnatium inuenias. Tametsi cum Xiphilino sic consentit, vt mihi quidem non tam ex Dione Græco (id quod profitetur Merula) quàm ex Græco Xiphilino ipsius Merulæ interpretatio fluxisse uideatur. Denique cum Dio manaret vberiùs quàm Xiphilinus, Xiphilinus contra esset cōtractior, Merulæ Nerua, Traianus, Adrianus, qui Xiphilino planè respondent, ex Græco Xiphilino extiterint necesse est. Sequatur

Orosius lib. VII.cap.IX. cum I I.capitibus sequentibus.

Ælius Spartianus tum in Adriano vbi multa etiam habet de

de Traiano: tum in Ælio Vero, vbi quædam de Adriano.

Iulius Capitolinus in Antonino & M. Aurelio.

Adde, si placet, Plinium tum in epistolis, tum in Panegyrico ad Traianum: etsi laudatio est non historia. Obijt verò M. Aurelius anno ab Vrbe condita M X L I I I. Commodo, non sinè magno Imperij incommodo & detrimento, successore relicto. Nam L. Verus qui M. Aurelij Collega fuit in Imperio, Commodum antegressus, quin ante M. Aurelium extinctus est. Ac propterea de illo plerique vnà cum M. Aurelio meminere.

COMMODVS cum aliis multis ad CONSTANTINVM vsque.

Commodus igitur sequatur cum alijs multis ad Constantinum vsque. In quibus legendi sunt qui subijciuntur authores

Sex. Aurelius Victor, Eutropius, Zonaras } hi tres sigillatim de singulis.

Orosius libro V I I. à capite X I I. ad XXX.

Herodianus qui ad Gordianum tantùm deuênit.

Xiphilinus, qui tamen cum Alexandro Mammeæ claudit historiam.

Ælius Spartianus in

Didio Iuliano, in

Seuero; vbi etiam de Pescennio Nigro, déque Clodio Albino deuictis, et de Caracalla, Augusto & Geta fratre. in

Caracalla rursus de quo seorsim. in

Ælio Vero.

Pescennio Nigro.

Geta. in

Triginta tyrannis qui Galieni & Valeriani tempore variis in locis extitere. vbi seorsim de tyrannis istis singulis. Quibus addendus eiusdem Spartiani

Titus (vixit hic sub Maximino)

Censorinus,

Firmus,

Saturninus,

Proculus

Bono-

Bonosus. Legendus quoque
Lampridius in
Commodo.
Antonio Diadumeno Macrini filio.
Heliogabalo.
Alexandro Seuero: de quo copiosissimè.
Iulius Capitolinus in
Ælio Vero.
Pertinace.
Macrino.
Maximino vtroque.
Gordianis.
Maximo, Poppieno, Balbino.
Galienis.
Clodio Albino.
Agathias libro IV. historiarum de Valeriano.
Trebellius Pollio de Valeriano vtroque, & de Claudio Galieni successore.
Flauius Vopiscus in
Aureliano.
Tacito.
Floriano.
Probo.
Caro.
Numeriano.
Carino.
Vulcatij Gallicani Auidius.

Quod si interim in Spartiano & huiusmodi aliis historicis qui cum Spartiano teruntur, occurrent multorum Vitæ qui reuera Imperatores non fuere, in aliis etiam multis inter legendum sentias quosdam Imperium occupare cœpisse, qui item inter Imperatores non numerantur, hos saltem aut ad Imperium vocatos, aut aspirasse, aut tyrannidem affectasse intelligas. Nam Spartianus inprimis eorum & rationem habet interdum & vitas attingit qui aut Cæsaris tantùm nomen adepti sint, aut per tyrannidem Imperium inuasere; ita ut inter tyrannos viriles quoque fœminas Zenobiam & Victo-

Victoriam retulerit.

Quanquam vnum est adhuc quod moneam, nimirum mihi quidem non leuem suspicionem creasse Spartianum, Capitolinum, Lampridium, Treuellium, Vopiscum, quos terimus in præsentia. nam præter quam quod multa desiderantur apud hos, ita vt non omnes extent quas scripsisse dicuntur Imperatorum Vitæ, vereor ne multa tribuantur Spartiano quæ sint Treuellij. siquidem hic author in Claudio narrat se de xxx. tyrannis qui sub Galieno fuerunt, scripsisse librum, atque inter eos mulieres etiam fuisse: & tamen hoc opus in præsens teritur Spartiani nomine & Getæ vitæ subijcitur quæ Spartiano tribuitur: etsi tyrannus xxix. desideratur. Adde quod verendum est ne horum vitæ Imperatorum siue Cæsarum aut tyrannorum, quoniam perturbato planè ordine digeruntur, ita vt nec Imperatorum, nec historicorum, nec temporum conueniens ordo in eis appareat; casu quodam ac tanquã ex naufragio collectæ fuerint. Tametsi fortasse ij authores minùs suspecti sint apud Baronium Cardinalem in 11 Annalium Tomo. par enim est Vaticana exempla quibus usus est ille, fuisse fideliora, ac suum quemque authorem in Baroniana historia Imperatores illos fideliùs referre. Sed ut ut sit, illud constet, Imperatores qui inter M. Aurelium Philosophum & Constantinum intercessere, ab accuratioribus scriptoribus hoc ordine numerari, nimirum

Commodum.
Pertinacem.
Didium Iulianum.
Septimium Seuerum.
Caracallam. cui Getam addunt aliqui.
Macrinum & Diadumenum filium.
Heliogabalum.
Alexandrum Mammeæ.
Maximinum.
Gordianum.
Philippum.
Decium.

Gal-

Gallum & Volusianum.
Valerianum & Gallienum.
Claudium.
Aurelianum.
Tacitum.
Probum.
Carum.
Carinum & Numerianum.
Diocletianum.
Diocletianum & Maximianum.
Constantium & Galerium.

Atque hoc ordine Spartianus cæterique huiusmodi historici legendi sunt & ordinandi, qui Imperatorum multorum Vitas perturbato ordine & confuso perscripsere. Atque hic sanè ab Vrbe condita decurrit annus MCLXVII.

Constantinus Magnus claudat Romanam historiam, de quo legendus est: CONSTANTINVS MAGNVS.

Sex. Aurelius Victor in Constantino.
Eutropius in Constantino & Licinio.
Orosius capite xxx. libri VII.
Pomponij Læti Romanarum rerum liber.
Ammianus Marcellinus.
Simeon Metaphrastes in Siluestri Vita: & Glycas in Annalibus.
Nicephorus Calistus libro VII. Cedrenus in Compẽdio. Tametsi hi quatuor legendi cautè.
Zonaras ad initium To. III.
Baronius Cardinalis si vacat, Tomo III. etsi intercisè atque permistè ferè Tomo toto.
Zosimus: qui tamen cautè legendus est, & Eusebio aliisq; qui eum coarguunt auditis.
Eusebij libri IV. de Vita Constantini, in quibus tamen facilè sentias eum sibi & Constantino canere. His apud eundem Eusebium succedit tum Constantini oratio ad Sanctorum cœtum quę luculenta sanè est; tum Eusebij altera de laudibus Constantini: liber quoque IX. & X. Ecclesiasticæ histo-

riæ pertinet ad Constantini acta, in quibus tamen omnibus cautè legendus est. Hieronymus quoque dum prosequitur Eusebij historiam, Cassiodorus in Tripartita libro 1. Theodoretus Cyrensis libro 1. & 11. Ecclesiasticæ historiæ multa narrant quæ pertinent ad Constantinum. Quibus iungi possunt Pacati & aliorum qui extant Panegyrici. Incidit verò Constantini mors in annum ab Vrbe condita M C C.

Hæc de Romanæ historiæ authoribus quod pertinet ad Imperatores. Cum enim Constantinus Imperij sedem Bizantium transtulisset, sanè eorum qui consecuti sunt, Imperatorum facta ad Romanam Historiam (dum præsertim in Græcia aut Asia Imperij sedes steterit) perperam reuocarentur. Neque verò interim reticebuntur, sed Græcæ historiæ cuius authores ex ordine paulò post commonstrandi sunt, ac summatim suo quæque loco reseruabuntur. Denique nos non tam Imperatorum quàm Romanam historiam teximus, res à Romanis gestas Romanæ tribnentes, Græcas Græcæ, Barbaras Barbaræ quoad eius fieri potest transmissuri. Itaque Romanorum Imperatorum (Romanos interim appello qui Romæ imperarent) historiam perorabimus quidem in præsentia, Romanam historiam nullo modo.

At enim ad Græcam progredere. Progrediar sanè si priùs cursim alios quosdam authores indicauero qui item in Romana historia vtiliter euoluantur. nam vel quia minùs obuij sunt, vel quia plerique inter Chronographos recésentur, vel quia ægrè dissecari poterant, & pro temporis ac personarum varietate dispertiri, vel quia recentes sunt plerique ac propterea non omnes peræquè sed cum delectu sint consulendi, placuit eos subiicere ad extremum. Ergo in Romana historia item legantur.

AVTHORES alij subijciuntur qui Romanæ Historiæ vtiliter adhibeantur.

Iornandus Gothus ab Vrbe cõdita vel ab iis quæ Romanam Vrbem antecessere ad finem vsque Constantini. dum enim ab Mundo condito ad Iustinianum vsque perbreuem texit historiam seu fusiorem explicat Chronologiam, non difficilè Romana historia ad translatum vsque Imperium agnoscatur.

Isidorus quoque & Beda, qui singuli in suis quos ab ortu Mundi ordiuntur Annalibus seu Chronicis, Imperatorum Vitas breuiter attigere, ab Vrbe condita ad Constantinum vsque legendi sunt, præsertim quod in Isidoro Garziæ notas habes non spernendas.

Frisculphus Episcopus Gallus percurratur eodem modo. Sed &

Sex. Ruffi libellus legatur totus: etsi enim ab Vrbe condita non modò ad Constantinum verùm etiam ad Valentinianum peruenit, de Iuliano tamen & Iouiniano qui inter Constantinum fuere & Valentinianum vix paucissimis verbis mentionem inijcit. ita vt huius libellus in Romanam, cuius hactenus ordinauimus authores, historiam incurrat totus. Tametsi, dum eò fermè videtur spectare vt doceat quo quæque Regio à Romanis subacta & in Prouinciam redacta fuerit, ac propterea iteratò sæpè ad eosdem redit Consules, aut Imperatores, dissecari nec potest nec debet.

Veterum Romanorum historicorum fragmenta nimirum
- Portij Catonis.
- Claudij Quadrigarij
- Sisennæ.
- Sallustij.
- Terentij Varronis.

Libellus de Origine gentis ex Verio Flacco atque aliis priscis authoribus collecta.

In eundem libellum notæ.

Leges veterum Romanorum ex Lipsio & aliis. adde Glareani Chronologiam in Dionysium Halicarnasseum, quod est in Romanam historiam.

Iohannes Baptista Egnatius à Cæsare Dictatore ad Constantinum Magnum: nam reliqua non huc pertinent.

Pomponius Lætus eodem modo.

Eusebius Cæsariensis quo sigillatim vsi sumus in Constantino, Romanæ quam texuimus historiæ vniuersæ conducere potest cum alijs de causis, tum præsertim ob temporum rationem in qua cæteri ad eum fermè adhærent toti: & eodem vtcunque referri potest Hieronymus atque alij qui Eusebianis Chronicis additi sunt. Aliquid etiam conferat

ferat ad Romanam historiam.

Socrates Scholasticus
Hermio Sozomenus } in historia Ecclesiastica.
Theodoretus Cyrensis

Historia tripartita. & ad extremum.

Cæsar Baronius Cardinalis in tribus primis Tomis: vbi ab Christi ortu ad Constantini obitum sic Ecclesiasticos texit Annales, vt ex profanis historicis ac Romana obscuritate eruat plurima: sigillatim verò de Romanis Imperatoribus commodè multa.

Quod si in Romana historia non bella solum verùm etiã alia multa tibi perdiscenda intelligas quæ pertinent ad pacis studia, cum tamen ij, quos hactenus recensuimus authores præter bella nihil ferè personent aliud, equidem id non magnopere inficias ierim; etsi enim Tacitus & qui præterea Vitas scripserunt, non tam bellis detinentur quin mores quoque & pacis studia paulò latiùs persequuntur; quin Suetonius ac Tacitus ij sunt ex quibus Iureconsulti multa colligãt quæ ad Senatusconsulta & leges ac summatim ad Romani iuris imaginem ac formam pertinent, haud tamen diffiteri ausim Romanos historicos ferè classicum canere: præsertim verò quia historia fermè inter bella (id quod alibi monere cœperam) alitur ac viget. sed tamen illud etiam commemorauerim doctrinas apud Romanos lõgè minùs cultas fuisse, quàm apud Græcos, cum armis ac militari prudentia eorum dominatus & partus & auctus sit. vt omittam si quid est quod præter arma seriò tractauerint Romani, id fuisse superstitiosum Deorum cultum & auguria quibus, ab Hetruscis & Numa acceptis seminibus, mirũ est quàm delirarint, ac de his quidem apud Liuium & alios ad nauseam ferè. denique si quid doctrinæ laude profecerunt, in hac M. Tullius instar omnium tibi sit: nisi tamen Poëtas quoque & historicos ipsos huc referri velis, qui item in promptu sunt. nam Romanorum tum Historicorum tum Poëtarum tum Oratorum, quot quot ante illum claruerunt inter Romanos, ex eodem M. Tullio ferè perdiscas. idem dixerim de uiris qui ciuilis prudentiæ aut sapientiæ laude claruerunt: posteriores

Tacitus, Plutarchus, (præsertim in parallelis & in libro de Fortuna Romanorum, nec non in Apophthegmatis laconicis & laconicis institutis, habent enim de Romanis multa) Gellius, Valerius Max Quintilianus, Crinitus, & alij suggerent qui ad Constantinum vsque Romanam prouexerunt historiam. Quibus omnibus si adiungere lubeat priores octo Volaterani libros quos Antropologiæ inscripsit nomine, cum postremo ferè toto cui Paralipomena nomen est, multa offendas quæ ad Romanam historiam pertinent. Idem de ijs dixerim quæ siue Paulus Manutius siue Carolus Sigonius siue Onufrius de Romanorum Magistratibus, legibus, huiusmodique alijs scripserunt. etsi enim partim cum humanioribus litteris partim etiam cum seueriore doctrina vtiliter coniungantur, cum Romana tamen historia affinitatem habent maximam: quin Fasti videri possunt historici toti. Idem de ijs quæ siue de re militari Romanorum Valtrinus (continet enim historicam eruditionem multam) siue de Stratagematis Polyænus, siue de Numismatis Vrsinus atque alij multi, siue de antiquis Romanorum familijs, ludis & spectaculis aut etiam Theatris & id genus alijs alij mandarunt monumentis.

N VENIO

VENIO AD GRAECAM HISTORIAM,

In qua ſanè, vt à nobis, (id quod iandiu polliciti ſumus) Lector inſtituatur, ac breuis illi & compendiaria, ſed commoda tamen ac facilis,

GRAECAE HISTORIAE LEGENDÆ RATIO

commonſtretur, expectet fortaſſe quiſpiam vt à præclariſſimæ huius Gentis incunabulis initium ducam. Ego tamen ſic ſtatuo. Nunc quidem nos non, quemadmodum antea, in hiſtoria verſari vnius Vrbis (quanquam tempore procedente facta eſt totius Orbis) ſed ampliſſimæ Prouinciæ ac florentiſſimæ. Itaque Romanæ Vrbis primordia & ædificationem, vt ab Mundi ortu & primis ſeculis abſuit longè, licuit quidem adamuſſim agnoſcere: Græciæ, cum infinitis propemodum Vrbibus ac populis longè varijs claruerit, & multò ante Romanam Vrbem (Romanam Vrbem dico non Latium aut Italiam vniuerſam: nam de his nihil adhuc ſtatuo) Romanámque gentem floruerit; vix ac ne vix quidem licet. Quanquam meum eſt non Græciæ hiſtoriam texere, aut varias Græcarum Vrbium ædificationes oſtendere; ſed Græcæ hiſtoriæ Scriptores ex ordine diſponere & commonſtrare vt eius legendæ ratio conſtet. Quapropter tantùm dicam tertio poſt primam ac generalem eluuionem ſeculo Græciam coli cœptam, cum ſcilicet Noë filij & nepotes ad Terrarum orbem excolendum ſoboléque replendum cõuerſi ſunt. Quamobrem alium Iones, alium Æolij, alium alij, parentem habuere: ita vt Græci ſi non Italis at certè Romanis ſinè vlla dubitatione præſtent antiquitate. Scio quidem Græcos incunabula ſuarum Regionum ac primordia ferè igno-

Græcorum parens & origo.

gnoraſſe; cùm à Theſeo aut ad ſummum à Deucalione & Pirrha vel etiam à Phoroneo & Niobe (quicquid de Iapeto fabularentur aliqui) primordia gentis repeterent. Itaque Plato ſcribit Solonem ſuæ gentis antiquitatem ab horum commemoratione fuiſſe orſum, cum ab Ægyptijs viciſſim eorum requireret vetuſtatem. ſed tamen nos melioribus monumentis, hoc eſt ſacris Hebræorum hiſtorijs, inſtituti, ducentos & quinquaginta circiter annos poſt Noëticum diluuium Græciam occupatam (id quod Ioſephus, & vt cæteros taceam, Iſidorus & Genebrardus præclarè explicat) & coli cœptam animaduertimus. cum tamen Phoroneus ac multò magis Deucalion fuerit poſterior. Nam quod Græci aliqui (lubet enim commentitias quaſdam Græcorum origines & antiquitates excludere vt ne vera origo & antiquitas fabulis obſcuretur) Deucalionis eluuionem confundunt cum Noëtica, quaſi verò vna eadémque fuerit, id verò à veritate abhorret quamlongiſſimè, cum Noëtica generalis fuerit, Deucalionea Theſſaliæ: illa octo tantùm homines reliquerit ſuperſtites, hæc propemodum infinitos: illa denique (ne con ſectër omnia) anno Mundi conditi ſexcenteſimo ferè ſupra milleſimum contigerit (quanquam vt varia eſt annorũ commemoratio poſt bismille annos contigit alijs) hæc anno propemodum termilleſimo. Quod ſi Deucalioneo & columbam emiſſam & alia huiuſmodi quædam vnde Noëticũ diluuium deſignetur, adhibent Græci, id vel ab ignoratione vel ex ambitione profectum eſt: quemadmodum alia quædam multorum, præſertim verò Hebræorum, præclara facta ad Baccum, Orpheum & Græcos non ſinè mẽdacio tranſtulerunt. Denique quod ſcribit Plato Ægyptium Sacerdotẽ Atticæ vetuſtatem ad decem annorum millia reuocaſſe, atque hãc annorum multitudinem Palladi, quaſi verò decemmillibus ante annis floruiſſet Athenáſque ædificaſſet, aſcripſiſſe, merum commentum eſſe, ſi de iuſtis annis loquamur, demonſtrauimus in Commentarijs noſtris in Platonis Timæum: ex quibus copioſiùs (ne hîc plura dicam) veram Atticæ atque adeò Græciæ antiquitatem perdiſcas: & ſigillatim res aduerſus Atlantinos ſupra octo annorum millia ab Athenienſibus

Commẽtitiæ quædam aut incertæ Græcorũ tum origines tum antiquitates refelluntur. I.

II

gestas, à Platone ad fictam Rempublicam tuendam excogi-
III. tatas ostendimus Nam qui homines ex Attica terra ortos cõ
miniscuntur, quemadmodũ Plato in Menexeno, Demosthe
nes in Oratione contra Æschinem de ementita legatione, Ci-
cero pro Flacco, Aristoteles etiam vnicũque in 1. Rhetorico-
rum vbi item αὐτόχθονας videtur admittere, ij sanè quàm vel
ambitiosè, vel vt tempori Oratorio more seruiãt, id fecerint,
IV. nemo non videt. Quod sanè potiore adhuc iure in Arcades
proferatur, qui se non módò ex terra natos ac germanos αὐ-
τόχθονας & indigenas dicerent, verùm etiam προσελήνιοι
hoc est ante lunam orti haberi vellent. tantùm enim abest vt
ex Terra nati dici possint, & quod canit Ouidius

Ante Iouem genitum Terram habuiße feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit,

V. liceat suspicari, vt ridendi penitus sint & exibilandi. Magis
commouerer si quis diceret verisimile cuderi posse ante ge-
neralem quoque eluuionem Atticam & Gręciam incolas ha
buisse. cum enim Græci non magno distarent interuallo ab
ijs regionibus quas ante diluuium cultas legimus in sacris
litteris, quid prohibeat per ea secula quæ diluuium sunt an-
tegressa, in Græciã quoque peruenisse mortales? certè Bero-
sus scribit ante aquarum cladem, qua vniuersus periit Terra-
rum orbis, circà Libanum fuisse Oenonem Vrbẽ maximam
Gygantum qui toto Terrarum orbe dominarentur ab occasu
Solis ad ortum. atque his propter impietatẽ ac scelera (com-
memorat hæc Berosus pluribus) perdendis diluuium immis-
sum esse. hæc & id genus alia Berosus. quæ fermè hac in re
cum sacris litteris consentiunt. ita vt Græciam ante diluuiũ
habitatores dixeris habuisse. præsertim verò cum sacræ lit-
teræ testentur homines ante diluuium quoque super terram
multiplicatos esse. Sed præter quàm quod Berosi testificatio
non minùs Italorum aliarúmque gentium faueret antiqui-
tatibus quàm Græcorum, Berosus quem terimus, suspectus
est. Et quanquam ea quæ hîc narrat, cum Iosepho fermè
consentiunt qui ad Berosum prouocat; quod ad Gygan-
tes pertinet quos ab ortu ad occasum memorat dominatos,
apud Iosephum altum de hac re silentium. nam scribit qui-
dem.

dem Cain multas regiones emensum, tandem Naide consedisse, atque illic sedem fixisse, sobolémque procreasse, quod cùm Beroso consentit; sed Gygantes toto terrarum orbe dominatos esse, vnde Græcorum antiquitas supra diluuium efferebatur, nullo modo indicat. Denique sacræ litteræ homines non tam super terram multiplicatos monent quàm multiplicari cœpisse, ita vt in Orientem & ad finitimas Mesopotamiæ regiones peruenisse mortales satis indicent, toto Terrarum orbe diffusos, nullo modo. Imò verò cùm statim ac diluuio exacto Terrarum orbem occuparunt prisci illi mortales, id sacra referat historia, quidni eádem referret, si quæ ante diluuium Terrarum orbis occupatio contigisset? Vt propterea mihi quidem nec postrema hæc Græcæ antiquitatis extollendæ ratio probari possit. Vt omittam inter Scythas Chaldæos Hebræósque fuisse quidem non contemnendis argumentis de antiquitate certatum, at Græcos apud laudatos antiquitatis authores in hoc certamen nisi ad eas quas explosimus fabulas confugias, descendisse nunquam. Itaque omnino iis assensetim qui scribunt ante generalem eluuionem Græciam & Italiam haud dum fuisse cultas: ac Iapetum eiúsve prolem huc primùm nauigasse, & nostras hasce oras tenuisse. Hinc Iapeti, quem satis constat fuisse Noë filium genus a nostris Poëtis audax appellatum quòd primum cauam ratem conscendere ausum sit (id quod nos in Europæ occupatione contigisse dicimus) ac mare traiicere, & idcircò ab Horatio & aliis audax appellatur Iapeti genus: idq; ea de causa quòd primis ausum sit se credere transtris. eodémque nomine à Valerio Flacco in Argonautica crux appellatur Iapetus. Atque éadem de causa aureo seculo haud dum ratem scensisse mare, aut aliena littora spectasse mortales canunt Poëtæ,

Nondum cæsa suis, peregrinum vt viseret orbem
Montibus in liquidas pinus descenderat vndas:
Nullaque mortales præter sua littora norant.

eâdem post aureum seculum accidisse ait Virgilius vt nauigari cœptum sit.

Tunc alnos primùm fluuij sensere cauatas,

& quamuis ijdem Poëtæ de more totam hãc rem cum Deucalione, Pyrrha, Prometheo, quos à Iapeto dissociare par erat, confuderint, nihil tamen prohibet quominus intelligatur in nostris regionibus primigeniam mortalium propagationem post diluuium, ac Iapeti sobolísque illius opera, consecutam esse. Fateamur igitur Græcos; id quod ex Iosepho aliísque optimis sacrarum litterarum æstimatoribus didicimus, ab Noëticis filijs ac nepotibus sigillatímq; à Iauan Iones, qui maximè Græci postea dicti sunt, ortos esse. atque hinc fieri vt quoniam de Italorum authore non apud omnes constat (ideò enim Italorum parẽtem alij eundem Iauan, alij Thubal, alij Iapheth, quem Ianum ipsum faciunt; alij Noë quem item Ianum appellant, alij Gomer, constituunt) in hoc fœlicior eorum antiquitas haberi possit: præsertim verò cum Sycionij apud Græcos, etsi post diluuium è Iapeti genere orti ac propagati dicantur, antiquissimi censeantur; ita vt Ægialeus eorum Rex (huius tamen rei fides sit apud authorem) Nini tempore regnasse dicatur. Illud tamen affirmauerim dum à Noë per Iapheth Europei duxerunt initium, id commune habuisse cum Græcis Italos vt ab eo profecti sint qui non modò paterna benedictione verùm etiam diuinarum litterarum commendatione gauderet. quam enim & refert nomine & à parente diuinitùs afflato sibi promissam audiuit dilatationem, hanc tum in prole ac terrarum possessione tum in veri cultus amplificatione, vnde in tabernaculis Sem habitat, consecutus est. Sed iam quoniam veluti stylo commentitias Græcorum genealogias & antiquitates resecauimus, incerta quoque primordia præclusimus, contra verò ad germanam originem ac verissima incunabula digitum intendimus, ad Græcos historicos ordinandos deuenio, vt quos temporum reliquit iniuria, Græcis antiquitatibus cognoscendis authores adhibeam.

QVI LEGENDI sint Authores ad Græcam historiam cognoscendam, & quo ordine.

Principiò tum Strabonis liber septimus extremus vsque ad vndecimi initium legendus est, tum Pausaniæ Græcia diligenti lectione agnoscenda est vniuersa: quandoquidem in Regionis illius historia, & Chorographiam, quæ sanè Græ-

cæ historiæ cognoscendæ plurimum affert vtilitatis, & Topographiam & Vrbium multarum ortum, referunt describúntque copiosè. Quod si hae in re minùs prolixos authores desideres, Ptolomæum, Dionysium, Sophianum, denique, si maiore adhuc breuitate gaudeas, Paulum Orosium libro primo, vbi Europam insulásque describit, consulas licet.

Mox Plutarchi Theseus legatur. etsi enim apud Græcos Chronologi & Historici à Troiano bello aut etiam à prima Olympiade fermè rerum gestarum narrationem ordiuntur, præstat tamen à Theseo, quippe olympicis ludis Troianóque bello vetustiore, initium ducere: præsertim verò cum hoc authore Athenæ frequentatæ sint ac gesta præclarè multa.

At enim cum inter Iauan Ionûm atque adeò Græcorum parentem & Theseum septingenti intercesserint anni, quid tu Græcam tot annorum prætermittis historiam? An non Romanam ab parente Vrbis Romulo continenter ac nullius seculi intermissione facta dixisti? Ego tamen & sentio & fateor si à Theseo fiat initium, multa ex Græcis antiquitatibus pretermitti, cum inter Thesenm & Iapetum plurimum intercesserit temporis. Sed tamen qualis qualis facta sit rerum gestarum iactura, nulla à nobis sarciri potest industria. Itaque tantùm dicam intra hoc temporis spatium Phoroneum (de 1. loquor) ac Niobem floruisse. qui sanè Phoroneus centum fermè annis abfuit ab Græcorũ parente Iauan: & in Nini incidit regnum géréſque adhuc dispersas in Hellinica, quæ Gæcia deinde appellata est, congregauit in Vrlinica, quæ Gæcia deinde appellata est, congregauit in Vrbes. Vt minimè mirum hunc à Solone antiqnissimum habitum inter Græcos. Procedente verò tempore Deucalionis & Pyrrhæ contigit eluuio, quæ deinde Poëticis fabulis respersa fuit tota. Idem dixerim de Bacchi in Indiam expeditione & rebus gestis: nam alioquin maximus fuit bellator & Imperator. Denique intra éadem tempora Iasonis Argonautarúmque nauigatio, Herculis labores ac facta, Thebanum bellum, prima etiam Troiæ per Herculem expugnatio & his similia contigere: quæ fermè omnia in fabulas abiere. Itaque rectè Plutarchus *Vltra Theseum monstrosa & tragica*

Poetæ & fabularum scriptores depascuntur: neque vltra fidem obtinent, tantùm abest vt in certis ponantur.

Quanquam curiosi habent de rebus ante Theseum gestis multa cum sparsim in Strabone & Pausania (& hac etiam de causa hos primò legendos ac terendos monui) tum apud Diodorum Siculum collecta libro v. vbi tamen pro fabulis agnoscit multa (in Herodoti quoque proœmio & in Darete Phrygio & Dite Cretense ad initium Troiani belli offendas aliqua. sed & ab Eusebio lib x. de Præparatione capite III. & in Chronicis rursus, cursim attingũtur plurima. Et vt alios multos prætercam, ab Orosio lib. I. pauca quædam de inundationibus quæ in Attica & Thessalia contingere, de Danao eiúsque prole ac factis, déque huiusmodi alijs ad Troiæ vsque expugnationem & Græcorum calamitates subinde consecutas memorantur. scimus etiam ante Theseum Phereci-dem de Vrbe Lero, de Iphigenia, de Dionysio scripsisse multa; Acusilam familiarum genealogias texuisse & in tabulas redegisse, alios alia historiæ commendasse; sed vel quia pleraque monstrosa sunt, vt fatetur Plutarchus, & deformata, vel quia mortales illi palantes plerunque degerent, ac rudiores essent quàm vt rerum ab illis gestarum cognitio in magno lucro ponenda sit, æquiore animo ferendum est tum facta prima tum quæ primis sunt proxima reticeri.

Iam verò post Plutarchi Theseum ea legantur quæ de bello Troiano (hoc enim ad Græcos constat pertinere vel maximè) conscripta sunt: nimirum Dictys Cretensis de bello Troiano libri VI. vbi reditum quoque Græcorum habes & infortunia. Daretis Phrygij de excidio Troiæ historia Nam qui hos duos authores affirmant esse adulterinos, eâdem facilitate repelli possunt qua id proferunt. certè cum Q. Septimij & Cornelij nepotis qui etiam Daretem carminibus illigauit, præferant testificationem, non tam facilè inter spurios fuerant relegandi. nam quod aiunt Liuium ac Diodorum latuisse, id verò nec satis constat, nec si constaret, quod moliuntur isti efficeret, cum recensa Septimio & Cornelio inuenti essent, quemadmodum ab alijs innumeri indies

dies libri reperti sunt, qui vt latuere maiores nostros, ita non statim in posterorum manus perueniunt. Ipse certè memini me hos authores calamo exaratos legere in peruetusto codice (asseruatur hîc Patauij apud honestum Ciuem) qui tamen cum vulgatis consentit. Legatur quoque

Strabonis liber I. & III. vbi Græcos post Troiæ excidium iactatos diu fuisse atque Vrbes condidisse ostendit. Apollodori bibliotheca conferat etiam ad hanc rem non mediocriter.

Sed tamen nouæ adhuc succedunt tenebræ siquidem rursus ab Ilij excidio Græcorúmque reditu & peruagatione ad Cyrum & Crœsum vnde orditur Herodotus, author superest nullus qui Græcorum texat facta: ita vt sexcentorum fermè annorum careamus historia. Quanquam ex Strabone rursus, Pausania, Plutarcho in Lycurgo & alibi, Laërtio, Atheneo, Suida, Eusebio, Zonara, Orosio, Iornando, Genebrardo atque aliis colligere multa possis quibus si non res gestas, nisi leuiter, colligas, saltem & temporum & Regum & populorum successiones perdiscas. Quin etiam ex Herodoto quoque & Thucydide superiorum seculorum facta multa intelligas. quare ex Herodoto verbi gratia plurimarum Ionicarum Vrbium ædificatio cum alijs rebus gestis multis agnoscitur: ex Thucydide multa quæ ad veteris Græciæ descriptionem euentúsque post Troianum bellum consecutos pertinent. Ab alijs etiam de Sycionio Regno, de Argiuo, Thebano, Cretico, Attico multa perdiscas quæ pleraque post Troianum bellum contigere. Sed quicquid sit, æquo animo ferenda est huiusmodi iactura, vel quia ante Herodotum rudes essent Græci Historici quemadmodum nos admonet M. Tullius: vel quia fabulis miscerent omnia, aut ambitioni plerique seruirent magis quàm veritati: vel quia perpauca illis seculis apud Græcos contigerint facta (non enim secula omnia feracia sunt) quæ historia magnopere digna essent. Certè Herodotus ad initium belli primi, sic antiqua Græcorum facta perstringit, vt indicet apud Græcos à bello Troiano ad Crœsum vsque memorabilia facta contigisse.

se pauca. Vt minimè mirum sit Herodotum primis quatuor libris aut quinque dispersa Græcorum facta cum Barbaris miscuisse ac veluti disseminasse.

Iam igitur in Græca historia is de quo dicere cœpi, succedat Herodotus: qui sanè à Candaule incipiens Lydorum, & Cyro Persarum, Rege, annos quadraginta supra ducentos producit historiam. Et quanquam diu in Persicis factis veriùs quàm in Græcis moretur, vix vt quinque posteriores libri Græca inprimis floreant historia, omnes tamen continét res præclaras. denique siue res spectes quæ & multæ sunt & variæ, siue Authoris stylum qui planus est ac persuauis, dignissimus est qui iam nobis ad Græcam historiam (hactenus enim certum ducem habuimus nullum) dux sit ac princeps.

Nam qui pugnant hunc scatere mendacijs, ac sæpè fabulas texere potiùs quàm historiam; proindéq; in eo illud vel vnum vel maximè laudandum quod Musas singulas libris præficiens singulis, hinc satis indicarit qualis qualis texeretur historia, ijs sanè videndum est ne tam facilè authori optimo sint iniurij: siquidem multa sunt quæ Herodotus bona recenset fide: ita vt ea non quidem statuat ac rata haberi iubeat, sed peruulgata fuisse moneat, fidem apud authorem relinquens: multa etiam in eo difficilia visa sunt quæ credantur, & tamen deinde à quibusdam experientia cognita & cóprobata sunt. itaque grauissimus author M. Tullius quemadmodum primum fuisse scribit qui historicam dictionem alioquin rudem ornauerit, ita vt dulcis, candidus, vno verbo, eloquens uideri possit, quíque sinè vllis salebris quasi sedatus annis fluat, ita historiæ patrem eum appellare non dubitauit. Vt Halicarnasseum mittam hoc est Historicum laudatissimum qui miris laudibus, omnibus historiæ virtutibus, eum ornauit & cumulauit. Quapropter hac in re Plutarcho non facilè assentiar: cum præsertim satis intelligatur inde in Herodotum commotum esse, ne dicam ira exarsisse, quòd Bœotos ac Thebanos vnde ortum duceret, ob proditionem quandam, quæ tamen syncerè ab Herodoto narratur,

tur, perstrinxisset. Tametsi ne actum agere videar, huius defensionem non persequar longiùs. Nam nouem Herodoti libros ob suauitatem & elegantiam nouem Musarum nominibus insignitos esse, nec ab authore suo, sed à Græcis ipsis hanc illis laudem accessisse, & in publico conuentu dum legerentur Musarum nomen inuenisse, cum ex veteribus testantur multi, tum elegans ac peruetustum elogium illud declarauit.

Ἡρόδοτος μούσας ὑπεδέξατο, τῷ δ' ἄρ' ἑκάστη
Ἀντὶ φιλοξενίης βίβλον ἔδωκε μίαν.

hoc est

Hospitio Herodotus Musas excepit: at illi
Contra suo librum nomine quæque dedit.

Cum Herodoto Plutarchi { Solonem, Milciadem, Cimonem } iungito.

Æmylij Probi { Milciadem item, Cimonem, Pausaniam }

Diodori Siculi librum XI. & XII. qui VII. respondent Herodoti à traiectione Xersis in Græciam ducto initio. etsi enim à Septimo vel potiùs à Sexto (primus nanque per incuriam, cũ esset bipartitus, in duos diuulsus est) aggressus erat quæ Troianum bellum sunt consecuta; quemadmodum primi quinque ea complectuntur quæ tum à Græcis tum à Barbaris ante Troiam captam gesta sunt, tamen quæ post Troiam captam ad Xersis traiectionem contigere, in Diodoro temporum interierunt iniurijs. Atque hinc est vt mira inter veteres quosdam & recentiores de Diodoro orta sit dissensio. illi enim seriò agere cœpisse aiunt & à fabulis abstinuisse: ij fabulis refertum clamant ac nugis. etenim sex vel potiùs quinque primi libri Barbarorum & Græcorum habent antiquitates, quæ sinè dubio fabulis resperſæ & inuolutæ sunt. reliqui ad seria deflectentes stylum, ad finem vsque student veritati. Plinius igitur, Iustinus martyr, Eusebius quique vniuersos Diodori libros peruolutarunt & à quinto

ad.

ad quadragesimũ serio agi animaduerterunt, grauem illum ac serium historicum habendum putarunt. Contra verò inferiorum seculorũ homines quibus primi quinque libri sunt superstites; reliqui omnes, vndecimo & alijs quatuor exceptis (qui etiam mutili nonnunquam apparent) interiere, primis permoti, ludicram historiam haberi iubent. qui tamen pluris quidem fecissent hanc historiam si ex eodem diligenter inuestigassent totius operis argumentum & primas illas antiquitates ab eodem Diodoro quippe fabulis respersas insimulari. alioquin Diodorus ex optimis quibusque historicis siue Græcos velis siue Latinos, hausit: & probatos authores (etsi labi visus est aliquando præsertim cum Latinam linguam non perfectè calleret) secutus est.

Sequitur Thucydides qui, quoniam Herodotus Xersis fuga terminauerat historiam; à Xersis fuga orditur suam xc. annorum facta subnectens libris octo. Hic verò *Omnes* (inquit M. Tullius) *dicendi artificio facilè vicit: qui ita creber est rerum frequentia, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur: ita porrò verbis aptus & pressus, vt nescias vtrum res oratione an verba sententijs illustrentur.* Sic M. Tullius de Thucydide. cuius stylum vsque adeò probauit Demosthenes & adamauit, vt eius historiam octies descripserit, ac ferè memoriæ mandauerit vniuersam. Et tamen Halicarnasseo Thucydides in Historia non probatur: præsertim quia dum obsoletis passim gaudet verbis, & concisa delectetur oratione, miram refert obscuritatẽ. Et sanè apud Ciceronem quoque propter obscuritatem atque abditas concionum sententias offendit. *Nam hoc* (inquit) *in ciuili oratione* (ab hac autem historica parum abest ex Cicerone) *est vitium vel maximum.* Itaque Quintilianus etiam Syracusium Philistum, hoc est Thucydidis imitatorem, inde saltem laudat quod sit Thucydide lucidior. Vt propterea cautior Philistus fuerit quàm Latinus Thucydidis imitator Tacitus; qui concisa breuitate & obsoleto dicendi genere, hoc est obscuritate, Thucydidem superauit. Quanquam alijs etiam de causis ab Halicarnasseo exagitatur Thucydides: nimirum

quòd

quòd nec commodo initio vsus sit: nec debitum ordinem temporis sequatur: nec res conuenienter distribuat & partiatur: nec denique aptum historiæ imponat finem. hæc & id genus alia Thucydidi obijcit Halicarnasseus tum in responsione ad Cn. Pompeij Epistolam, tum maximè in iudicio de Thucydidis historia. Et sanè, vt concedam facilè contingere posse vt homines inuidentię nonnihil indulgeant (nam κεραμεῖ κεραμεὺς κοτέει) mihi quidem Halicarnasseus in multis non temerè sed sciꝛè videri solet Thucydidem insimulare. Quanquam de re hac tota aliorum sit iudicium.

Is verò de quo mentionem feci Syracusius Philistus Thucydidem, teste M. Tullio, proximè consecutus est: sed tamen non in argumento, vt opinor, quasi verò Thucydidis continuarit historiam sed ætate. nam alioquin res Siculas xi. libris, Dionysij tyranni vitam sex, complexus est. & in hanc vitam, mea quidem sententia, spectauit M. Tullius cum scriberet *Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis pœnè pusillus Thucydides, sed vtros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an vtrosque nescio. magis me de Dionysio delectat. ipse enim est veterator maximus & paterfamilias Philisto.* atque idem dixerim de Theopompo & Ephoro qui Philistum ætate consecuti sunt non historiæ argumento. Quanquam re uera Theopompus quemadmodum Herodoti scripsit epitomen duobus libris, & Philippica duobus & septuaginta; sic Græcas historias libris vndecim est persecutus, quibus ea pertexebat quæ de Peloponnesiaco bello fuerant à Thucydide prætermissa.

Cum Thucydide
Coniungendus est tum

Plutarchi {
Themistocles.
Pericles.
Lysander.
Alcibiades.
Conon.
Nicias. } tum

Probi Pausanias rursus, continentérque.

Alci-

Alcibiades,
Lysander,
Trasybulus,
Diodori duodecimus extremus cum XIII.

Xenophon sequatur qui ab ijs ferè ordiens quæ prætermisit Thucydides, Græcorum facta triū & quadraginta annorum septem libris descripsit, quos etiam ἑλληνικὰ seu de rebus Græcorum(neque enim septem quos item de Cyri expeditione confecit, intelligo,inscripsit. Lacedæmonum & Thebanorum facta ad Mantineum vsque prœliū persequens. Ac de Xenophonte quidem, quoniam eius monumenta in promptu sunt,& verò nemini non probantur, nihil est quod plura commemorem hoc tempore. Cum hoc non inutiliter iungatur ex

Plutarcho & Probo { Agesilaus, Cabrias, Epaminondas, Pelopidas.

Xenophontis quoque liber de Agesilao Rege.

Alter etiam de Lacedæmonum Rep. cum tertio de Rep. Atheniensium legendus est: nam tum alibi in Græcam historiam tum in hunc locum conueniunt commodè.

Georgius Gemistus sequatur: qui,etsi ætate multò posterior, Xenophontis historiam continuauit duobus libris à Mantineo prælio ad Cheronæam cladem: vti ex Plutarcho ferè & Dionysio (huius historiam hac de re amisimus) consectatur: ita vt quemadmodum Xenophon Thucydidi, ita Gemistus Xenophonti, in Græca succedat historia: sic postrema Persarum bella commemorans, Græcę Monarchiæ initio historiam concludit suam.

Sequatur Diodori liber XVI. in quo primum Macedonicū bellum atque adeò res à Philippo Macedone gestas ad mortem vsque persequitur: inque Gemisti extremam historiam bellè incidit.

Iustinus

Iustinus libro VII. VIII. & IX.

Orosius libro IV. capite XII. ad initium.

Et cum ijs sanè, hoc est cum expirante Persarum & ineunte Græcorum Monarchia, vtiliter iungas ex

Probo & Plutarcho } Agim, Cleomenem, Aratum, Eumeneũ, Dionem, Demetrium, Phocionem, Demosthenem Iphicratem Timoleontem.

Diodori succedat liber XVII. in quo Alexandri Macedonis facta complectitur. Sequatur

Plutarchi Alexander.

Curtius.

Arrianus.

Polybius libro V. & XII. etsi digressione atque obiter vtrobique.

Iustinus libro IX. & XII.

Zonaras tomo I. fusè.

Iosephi Hebræi caput postremum libri XI. Hebraicarum antiquitatum.

Iam verò Alexandro extincto & Græca Monarchia veluti dissipata ne dicam funditùs interempta, authores quoque nos penè deficiunt quibus trecentos qui inter Alexandrum & Augustum intercesserunt annos & Græca horum temporum facta prosequamur. nam qui ea scripserint proferri quidem possunt multi: superstites ferè nulli. etenim Arrianus teste Phocio ea etiam quę post Alexandrũ gesta sunt libris X. complexus est. eadem libro XVIII. & alijs multis sequentibus Diodorus. qui tamen libri in meo codice (tres enim non ita pridem audio quibusdam adhuc cognitos) desiderantur omnes. eadem Dexippus, Agatarchides, Trogus, & alij: sed omnium iactura facta est. Quæ tamen aliqua ex parte sarciri potest sequentium Authorum lectione. Ergo sequatur è vestigiò

Iustinus qui de more ex Trogo regnorum quæ ab Alexandro deuicta sunt diuisiones, & quæ subinde inter eos Reges orta sunt bella, describit libro XIII. & XXIII. sequentibus.

Tum

Tum verò (quoniam ea quæ in XVIII. gesta sunt à Pyrrho ad Romanam historiam reuocauimus, agnoscantur quæ succedunt in libro XIX. & quatuor proximis. Ea enim quæ in XVIII. gesta sunt à Pyrrho, quanquam in Romanam quoque historiam conueniunt, multa tamen habent quæ cum Græcis antiquitatibus coniuncta sunt. sequentes verò quinque, etsi ad Siculos maximè & Carthaginenses pertinent, attamen vel quia Siculi inter Græcos numerabantur, vel quia huiusmodi facta ægrè in barbaram, multò minus in Romanam cadunt historiam, ad Græcam (præsertim quia Pyrrhus & Græci sese plerisque immiscent) multa etiā in Græcos geruntur qui magnam Græciam colerent, iure optimo reuocentur. Denique XII. qui sequuntur libri, continent quidem multa quæ cum Syriacis atque Asiaticis coniuncta sunt, aliqua etiam quæ Romanam attingunt historiam, sed tamen vel quia à Græcis, præsertim verò ab Alexandri successoribus, gesta sunt, vel quia cum Græcis sunt permista, vel quia à Trogo atque alijs ad Græcam ferè historiam reuocantur (maximè verò quia maxima Asiæ pars Græca vteretur lingua) commodè in Græcam historiam referantur. Sequatur

Iosephi liber XII. & XIII. quamuis enim eo planè historiam sibi scribendam proposuit nomine, vt quæ ad Dei & populum, & legem, & Vrbem, & Templum pertinent; vno verbo, sacras antiquitates persequeretur, veruntamen in his duobus libris ab Alexandri morte orsus, quæ per huius successores gesta sunt, magna ex parte complectitur. Consequatur

Appiani Alexandrini liber de bellis Syriacis: in quo, & si eadem facta complectitur, multò magis tamen ad Græca inflectit stylum.

Liuius rursus occurrit quem in ijsdem consulas in libro XXXI. XXXII. & XXXIII. Quanquam plurima sunt quæ tibi de Philippo Macedonum Rege (est hic ab Alexandri patre alter vt monui ac multò posterior) & de rebus Macedonicis sese offerant ad quadragesimum vsque librum in quibus omnibus si alia præterea consulas multa, quæ item succe-

dunt vſque ad XLV. ſecundum bellum Macedonicum habeas: quod contra Perſeum Philippi filium (tertium enim quod cum Andriſco ſeu Pſeudophilippo geſtum eſt in Liuio deſideratur) ab Æmilio Paulo fuit adminiſtratum. Nam quoniam diſtinctius paulò libros iſtos in Romana triuimus hiſtoria, haud lubet rurſus in ijſdē immorari longiùs.

Florus ijſdem libris, & de geſtis Romanorū capite VII. libri II. vbi bellum Macedonicum primum, capite XII. vbi ſecundum, denique caput XIV. vbi tertium, ſtrictim attingit: ita vt in I. Philippus, in ſecūdo Perſeus filius, in tertio Pſeudophilippus, ſuperetur.

Polybij liber IV. & V. etſi in ſeptimi fragmentis extant etiam de Philippo aliqua: aliqua etiam in X. XVI. XVII.

Eutropij caput I. libri quarti.

Oroſij caput XII. libri IV.

Plutarchi Quintus Flaminius & Paulus Æmilius.

Zonaras tomo I. ab Alexandri morte vbi pauca quædam ſcribit de Succeſſoribus.

Paterculus qui (vt iam antea monere cœperam) à ſexcentorum fermè annorum excitatus ſomno quo in lacuna vnica detentus eſt, breuiter tripartitum, de quo ſupra, Macedonicum attingit bellum: etſi primi deſideratur initium.

Quanquam apud recitatos authores in Macedonico bello multa inuenias quæ pertinēt ad Lacedæmonios, Thebanos, Eubooëos, Ætolos, & finitimos horū populos aliquot ac propterea ſuo illa diſcuntur loco. Nā quæ interim offendas extra Græciā à Romanis geſta fuiſſe (inſerta enim ſunt cum ijs plurima vt bellum Syriacum & huiuſmodi alia) hæc verò ad Romanam quoque hiſtoriam reuocauimus.

Iam verò quæ Iuſtinus perſequitur in libro XXXVII. & quinque ſequentibus, pertinent quidem ad res Aſiæ, ſed tamen vel quia à Progo cum Græca hiſtoria coniunguntur, & verò à Græcis quibus continuatur, ortum habuere, vel quia magna Aſiæ pars Græcos & lingua & moribus attingebat, proindéque à Græcis fermè hiſtoriæ commendantur, cū ſuperiore hiſtoria cohæreant non incommodè. præſertim verò quia nil prohibuit eorum, quoniā à Romano quoque Impe-

rio pleraque geruntur, in Romana historia haberi rationem. Igitur ad Græcam continuandam historiam legatur adhuc

Iustini liber XXXVII.cum insequentibus quinque.

Appiani liber de Syriacis bellis ad extremum.

Eiusdem Mithridatica.

Orosij caput III.libri V.

Sed iam à debellato per Pompeium Mithridate & Tigrane, postea verò per Cæsarem Pharnace, mihi quidem historicus occurrit nullus cuius opera Græcam historiam ad Cõstantinum vsque producam. cum enim Græcia omnino subacta esset, ac Romanis obtẽperaret, nihil bello gessit quod eius proprium censeri possit: etsi alioquin Romanorum arma & facta Græciam quoque eodem tẽpore compleuerunt. Quapropter si quæ sunt (sunt enim permulta) quæ cũ Græcorum vel gẽte vel regionibus coniuncta sint, nihil prohibet quominus ex Romana perdiscantur historia. Nam ea, quoniã in Romanæ historiæ quos ordinauimus authoribus occurrunt, mihi quidẽ nequaquam consilium est iteratò percensere. Sat sit meminisse à Põpeio ad Cõstantinum fluxisse annos LX. supra CCC. atque horum rationem quod pertinet ad Græcos etiam ex Romana historia agnosci posse.

Iam verò de Cõstantino Magno & successoribus legatur

Zonaras tom. III. in quo à Constantino Magno ad Alexij Comneni obitum texit historiã. Ita fit vt ab salutis anno CCC. incipiens, & DCCCXVII. annorum facta pertexens, ad salutis annum MCXVIII. perueniat.

Nicetas Acominatus qui Zonarę è vestigio in hoc labore succedens ab Iohãne Comneno Alexij filio & successore incipit atque annorũ LXXXVI. complexis factis, ad salutis annum MCCIII. prouehit Græcam historiam.

Nicephorus Gregoras qui Nicetam cõsequutus à Bizantio capto vbi planè finem Nicetas fecerat, ac res describens CXLV. annorum ad annum peruenit MCCCXXXXVIII.

Laonicus Calcondyles qui ab Andronico in quo Grego-

ras terminauit,exorsus,ad Greci Imperij peruenit interitum, Turcica subnectens initia & progressiones. Atque hîc sanè, quoniã Græcum Imperium Turcarum concessit Tyrannidi, ac dominatum cum seruitute commutauit, Græcæ historiæ terminus esto. Illud tamen addam nos Procopium interim prætertire quòd quãuis Iustiniani seu Bellisarij, hoc est Græci Imperatoris aut Ducis,facta conscribat, hæc non ad Græciam sed Italiã aliásque Prouincias & Regiones pertineant. Et eodem nomine ea prætermisi quæ de ijsdem fermè rebus scripsit Agathias: Tametsi ex hoc authore pauca quædã quæ Bizantij gesta sunt, non temerè delibentur, & Zonaræ suo quæque loco iungantur. Nam Zosimum cum Zonaræ initio si quis coniungat,is se in Constantini calumniatorem veriùs quàm in Historicum incidisse sciat. ita vt cautè saltem legendus sit ac iustis reprehensoribus quos habet multos, auditis.

Quanquam cum Græci non armis solùm sed doctrinis ac Philosophiæ inprimis laude claruerint, togatos quoque aut palliatos viros habet quorum historiam præstet agnoscere. Igitur legendus est

Xenophon de dictis & factis Socratis.

Diogenes Laërtius qui libris decem Græcorum fermè vitas Philosophorum persequitur eodémque nomine percurri potest Eunapius, Hesychius,& si quis huiusmodi nam Philostrati, quoniam in suo Tyaneo interdum nugari visus est, non magna habenda est ratio.

Athenæus quoque & Suidas multas continent Græcorum antiquitates,sed Strabo inprimis (vt in circulũ recurrat oratio) & Pausanias legendi sunt:cum sparsim ad Græcã historiam vniuersam suppeditent multa. Nec spernẽdus Plinius Iunior:quãuis obiter,quod rei nostræ interest,omnia. Plutarchus etiã tum in laconicis Apophthegmatis & Institutis tum in Parallelis (hæc enim ad Græcos inprimis pertinent) tum in Orationibus de Alexandri Magni siue Fortuna siue virtute, tum in libro in quo disputat Belóne an pace clariores fuerint Atheniẽses,tum in vitis x. Aletorum legendus est. Ad extremùm quoniam legẽdus esset eos percensere omnes ex quibus liceat ad Græcam antiquitatem aliquid colligere

(quis enim inter eruditos authores referatur qui non Græcam redoleat siue attingat antiquitatem?) Sigonium euoluas de Republica Atheniensium, de temporibus Atheniensium & Lacedæmoniorum, & si quis huiusmodi. Hos igitur in Græca historia authores consulito.

Rerum dictarũ summa ex qua colligitur quid iam succedat explicãdum.

Iandiu verò monuimus Historiam primò distribuendam in Genealogiam & facta: mox ad Genealogiam digitum intendentes optimos huius scriptores commonstrauimus. Ad facta verò descendentes, hæc in sacra & profana diuisimus primò: atque vnde sacra sint haurienda, siue hæc à Mundi primordijs ad Liberatoris nostri aduentum ac salutis Authorem, siue ab hoc ad insequentia secula, requirantur. profanam verò tripartitò distribuimus, nimirum in Romanam, Græcam, Barbaram: ac de Romana quippe longè nobilissima, diximus primùm: tum de Græca. Nunc paucis ad Barbaram.

In qua sanè ea quæ ante Mundi eluuionem contigerunt facta, nihil est quod nos detineant: idque vel quia vnis sacris litteris contineantur ac propterea non tam ad profanam in qua versamur, quàm ad sacram, reuocentur historiam: vel quia eorum authores ac veluti fontes iam indicauerim ex quibus tibi affatim haurire liceat. Quæ verò eluuionem illam proximè sunt consecuta, videri quidem possunt profanæ historiæ materiam & campum suppeditasse statim ac propagari ac longè latéque disseminari cœpium est hominum genus: nam inde continenter tum Dominatus ac Regna, tum Vrbium ædificationes, bella, leges, instituta, vno verbo, res memorabiles extiterunt quæ historiæ lucem desiderant. Hæc tamen maioribus nostris ad Chaldæorum fermè regnum placuit reuocare: quibus continenter præcipua adnectẽtes Mundi Imperia, quatuor monarchias, Chaldæorũ scilicet, Persarũ, Græcorum, Romanorũ, constituêre. Et quanquã alia quoque floruerũt Regna, ea tamen amplitudine, potentia, splendore, inprimis verò gestarum rerũ magnitudine, dominatus cęteros quotquot extitere ante Romanũ lõgo interuallo superarũt. Adde quod Principatus cæteri vt quadam vel locorum vel linguarum vel rerum gestarum

propin-

propinquitate ac veluti affinitate aut etiam origine Monarchias illas attigere, cum ijs passim ab Historicis coniuncti sunt. Itaque apud hos Assyriorum Imperium cum Chaldæorum Monarchia, Medorum cum Persica, Sycioniorum, Lydorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum cum Macedonica seu Græca, Hetruscorum ac Latinorum cum Romana permisceri videas. Denique vt Romanum Imperium Carthaginense, cætera Ægyptiorum Scytharúmque dominationes occuparunt, sic mortalium facta ad quatuor Monarchias redigere licuit non incommodè. Neque verò id affirmo quòd existimem in Nabuchdonosori somnio ac Danielis interpretatione vnde primùm quatuor Monarchiæ designari cœptæ sunt, Monarchias ipsas tam latè ac summatim hac planè ratione vsurpari, sed vt intelligatur Historicos deinde multos, vt certis quibusdam capitibus res à mortalibus gestas comprehenderent, eas non grauatè ad quatuor Monarchias reuocasse. Ita quidem, quoniam nos de Romana & Græca diximus, Chaldaicam Persicámque breuissimè nunc tandem perstringemus quibus Barbara fermè concluditur historia. Nam earum gentium, quæ posterioribus seculis in opposito nobis Terræ globo repertæ sunt, facta historiámque, Barbara de qua loquimur historia non complectimur.

Ergo Assyriorum & Chaldæorum quæ ab Assyria profecta est Monarchia seu illius antiquitates ac res gestæ ex sacris litteris, præsertim verò ex Genesi & Daniele sunt tibi hauriendæ: quibus cognoscendis cum Philo in biblicis antiquitatibus & Iosephus in Iudaicis, tum diuinarum litterarum explanatores aliqui magno tibi adiumento esse poterunt. & quidem Iosephus (quemadmodum ex his intelligitur quæ aduersus Apionem disputat) Berosi Monarchias & aliorum multorum libros peruolutauit qui Assyriorum Chaldæorúmque antiquitates litteris consignauerant: ita vt eius tum de Iudaica antiquitate tum contra Apionem libri, quoniam antiquissimarum gentium ac sigillatim Chaldæorum Assyriorúmque antiquitatem continent, diligenter sint consulendi.

Berosus etiam vnà cum Manethone multa tibi subijciet quibus tamen quoniã adulterini visi sunt aliquibus, eatenus fidem adiunges, quatenus cum Iosepho, Eusebio atque alijs qui vero Beroso vsi sunt, cõsentire videantur. Certe is quem terimus in multis cum Iosepho consentit. ex his verò qui Genesim & Danielem interpretantur, multa colligas quæ ad easdem pertinent antiquitates, inter quos Benedictum Pererium habes quem euoluisse non pœnitebit. Quod si quis ex sacris explanatoribus occurrat qui priorem librum Paralipomenon accuratè explicet, is easdem antiquitates attingat necesse est. Vt omittam extremæ Chaldæorum Monarchiæ facta ex sacris tum Historicis tum Propheticis libris eorundémque interpretibus vtcunque erui posse.

Herodotus quoque in libro I. de Assyrijs multa: aliqua etiam in VII.

Xenophon item, vt bella scribit inter Persas & Assyrios gesta, habet non pauca de Assyrijs & Chaldæis.

Dionysius Halicarnasseus libro I. vbi Romanorum Monarchiam confert cum Monarchia Chaldæorum.

Diodorus Siculus libro III.

Eusebius libro IX; de Præparatione Euangelica capite vltimo: & rursus in Chronicis.

Zonaras Tomo primo Annalium vbi de Assyriorum Monarchia.

Iustinus libro I.

Orosius libro primo, capite nono, & libro secundo, capite primo.

Iornandus in Chronicis. ac summatim generales Chronologi & Geographi omnes & Genebrardus inprimis. Nã Etesias qui sex libris Assyriorum facta complexus est, hac in parte interijt totus.

Ad extremum Persarum Monarchiæ cognoscendæ plerique ex recitatis authoribus ac libris valent, Sacra Genesis, Paralipomenon prior, Daniel, quin Profetici, etiam reliqui & historici libri suppeditent multa. Philo ac Iosephus inprimis in Iudaicis antiquitatibus; & contra Apionem.

Biblici Interpretes, inter quos Pererius inprimis est consulendus.

Methastenes de Persicis Annalibus.

Etesiæ fragmenta quæ Herodoto adnexa inuenias.

Herodotus passim.

Diodorus Siculus libro tertio, capite VII. & IX.

Curtius, Arrianus, Iustinus, ac quotquot Alexandri facta ex instituto complectuntur.

Iustinus libro I. II. & III.

Appianus in Parthica historia.

Paterculus libro I. ad initium.

Orosius libri primi, capite vigesimo, & libro secundo, cap. II.

Zonaras Tom. I Annalium vbi de Monarchijs.

Procopius & Tzetes de bello Persico.

Ælianus ac Plinius non vno in loco.

Iornandus in Chronicis.

Pius Secundus in Asia capite trigesimosecundo, & duobus proximis.

Eusebius lib. X cap. vltimo, & in Chronicis.

Strabo libro XV.

Genebrardi Chronographia.

Absoluimus Chaldæorum Persarúmque Monarchias, Authores qui earum facta prosequuntur, referentes; proindéque docuimus quî de Barbarorum antiquitatibus ac monumentis, quæ fermè in duabus hisce Monarchijs inclusa sunt, erudiaris. Ita demum Romanæ, Græcæ, Barbaræ historiæ satisfecimus. Nisi tamen, quoniam re uera ad posteriora sæcula non facilè descendimus, hoc vnum deesse moneas, ac propterea flagites vt eodem labore ac studio Authores perstringam qui reliquam succedentium sæculorum condiderunt historiam. Ego verò mihi hîc omnino consistendum & à reliqua Historia vniuersa supersedendum putaui.

Cum enim mihi ad senectutem inclinanti & multarum occupatione lucubrationũ distento, per tempus haud liceat

qui supersunt authores (neque enim exigua est eorum multitudo ac moles) euoluere omnes, & quemadmodum priores florente ætate per ocium expendimus, ita cæteros diligenter consulere, satius duxi lampada ijs tradere quibus ocium huic labori suppetere possit ac tempus. præsertim verò quia ipse quidem priuatas adhuc Barbararum Regionum ac nationum historias quæ vernaculis gentium linguis pleræque continentur, persequi, vt par esset, nec possim nec velim. Denique nos iuuat latissimos ac florentissimos Græcorum Latinorúmque campos peragrasse; ex quibus sanè, quoniam iam iam de vtilitate ex historijs capienda scripturi sumus, fructus vberrimos percipere liceat ac degustare.

Finis Libri Tertij.

DE HISTORIA

LIBER QVARTVS.

DE vtilitate ex rerum gestarum monumentis capienda dicendum est postremo hoc libro: vt nimirum intelligatur qua ratione vtiliter peruolutari & ad nostrum vsum conuerti possit Historia. Quid enim tādiu hac in re laborasse, atque adeò ingentes molestias in scribendo exantlasse, nisi tot tantisque laboribus fructus respondeant? Huc igitur sese conuertat oratio, vt tandem receptui canat vtiliter. Quanquam quid tu iactas ex historiæ lectione fructus, præsertim vberes, percipi posse, qui eius narrationem ad vitia quoque dilabi, & res turpes ac flagitiosas monumentis mandari, tam facilè patiaris: sed quid dico patiaris? imò verò, nisi commemorentur, peccari atque historiæ leges violari arbitreris? Sanè qui ijs parcendum censent, atque illa tantùm publicis litteris consignari iubent quæ cum virtute coniuncta sint, fructus & sperare & colligere possint: tu contra qui facta omnia commemorari iubes, ægrè vel potiùs temerè ad hanc laudem aspires: præsertim verò quia mortalium facta pleraque ad vitium sunt procliuia: ita vt rarò in exempla incidas meliora, vbi sinè discrimine res à mortalibus gestæ narrentur. Imò verò tanta est hominum peruersitas & corruptela, vix vt ex omnigenæ virtutis exemplis aliquid vtilitatis colligant. tantum abest vt quæ flagitijs multis, præclaris facinoribus paucis, constet narratio, vberrimos

DE VTILITATE ex historia ac rebus gestis capienda.

Priùs tamen oppugnatur eius vtilitas.

rimos fructus afferre possit. Denique (vt me planiùs explicē) cur quæso mortalium vitæ conducat, vel certè nō magnopere obsit, Nini ambitionem, Sardanapali intemperantiam & luxum, Peliæ sæuitiam, Candaulis temeritatem atque stultitiā, Romuli parricidium, Tarquinij superbiā, cognouisse? Quid Io, Europam, Medeam, Helenā, Sabinas turpiter raptas ac violatas didicisse? quid nosse Vitellios, & Aquilios patrię interitum procurasse; Sp. Melium, Gracchos; Catilinam eiusdem tyrannidem affectasse: Syllam verò, Cæsarem, Augustū eam occupasse? quid (vt alia sexcēta sileam vnde in mortales corruptela manare solet latiùs) Tiberios, Caligulas, Nerones, Domitianos, Commodos, Heliogabalos, fęda illa humani generis portenta, ac profligatissima eorum facta percepisse? quid etiam (ne id prętereā quod in historijs est fermè perpetuum) Reges ac nationes perpetuis odijs inter se exarsisse, ac cædibus & sanguine Terras sæpenumero compleuisse? & tamen hæc & huiusmodi alia narrant passim Historici atque in ijs eorum exultat oratio.

Defenditur.

Ego verò fateor immo profiteor me hac de re disputantem venisse in eam sententiā vt statuerim res flagitiosas ac turpes (si tamen ad institutam historiā pertineant) Historico esse commemorandas: idque ea maximè de causa quòd alioquin historia passim diminuta futura sit & manca. si enim causæ, consilia euentúsque ipsi reticendi sint vbi æquitas absit vel honestas, vix vnquam historiam vel instituere, vel prouehere aut ad finem perducere possis, cum rarò admodum facta hominum, quippe qui cupiditatibus plerunque seruiunt, omni planè careant culpa & crimine. Ita sanè quicquid mandes historię, vt mutilum ac decurtatum, sic anceps sit vndique & obscurum. ex quo fiet vt nec legentis expleas animum, nec intelligentiæ satisfacias. Cur igitur prohibebimus ne sinè discrimine (id quod vsu receptū videmus) bona commemorentur & mala? præsertim verò cum inter primarias historiæ leges ea numeretur ne quid veri audeas reticere: sed rem perinde ac gesta est bona fide recenseas. Quid plura? ea sunt humanæ vitæ exempla, ea rerū gestarum vis, vt ex flagitijs etiam ipsis, si debita cautione ac moderatione narrētur, vtilitas referri possit. Cur enim Liuius

non libenter audiatur ac prudens iudicetur dum vim ac stuprum ab Appio Claudio honestissimæ virgini intentatū cōmemorat? Sequitur (inquit prudens Author) *aliud in vrbe nefas ab libidine ortum haud minùs fœdo euentu quàm quod per stuprum cædemque Lucretiæ, vrbe regnoq; Tarquinios expulerat: vt non finis solùm idem Decemuiris qui Regibus sed causa etiam eadem Imperij amittendi eßet. Appium Claudium virginis plebeiæ stuprandæ libido cepit. Pater virginis L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti domi militiæque: perinde vxor instituta fuerat liberique instituebantur. Desponderant filiam L. Icilio, tribunitio viro acri, & pro causa plebis expertæ virtutis Hanc virginem adultā, forma excellētem, Appius amore ardens, precio ac spe pellicere adortus, postquam omnia pudore septa animaduerterat, ad crudelem superbamque vim animum conuertit.* Hæc & alia permulta Liuius, donec puellam à parente, quoniā eius pudicitiæ prospicere alia ratione haud posset, gladio transuerberatam docet. quibus tum veritati satisfecit, tum Appij libidinem non sinè huius infamia & reprehēsione, ac propterea legentium vtilitate, litteris cōmendauit. Egregiè quoque Tacitus, qui cū narrasset Tiberij & Senatus acerbitatem & sæuitiam in Cremutium quòd in suis Annalibus Brutum & Cassium laudasset, statim Tiberio ac Senatui talē sæuitiam & acerbitatē his exprobrabat verbis. (*Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nam contra, punitis ingenijs gliscit autoritas. neque aliud externi Reges aut qui eadem sæuitia vsi sunt, nisi dedecus sibi, atque alijs gloriam peperere.* Eodem modo Sallustius mortem P. Lentuli viri Consularis qui cum Catilina in Patriam coniurare non dubitauerat, narraturus, *Est locus* (inquit) *in carcere quod Tullianum appellatur; vbi paululum ascenderis ad læuam circiter* XII. *pedes humi depreßus: eum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta tenebris, odore fœda atque terribilis eius facies est.* Statimque tetra & funesta loci facie quasi ante oculos posita, fœdum supplicium, breuiter ille quidem sed cum perpetua infamiæ nota percenset.

In eum

In eum locum (inquit) *postquam demissus est Lentulus, iudices rerum capitalium quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille Patricius ex gente clarissima Corneliorum qui Consulare Imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisq; suis exitum inuenit.* Ita fit vt quoniam homines suapte natura infamiæ terrentur metu, non possint non ab eorum imitatione abhorrere quos perstringi sentiunt & transfigi ignominiæ telo. Quid igitur aut Nini ambitio, aut Sardanapali intemperantia, aut aliorum qui recensebantur lues verenda sit dum à bono historico æterna notentur infamia? Itaque scitè (vt solet) M. Tullius non tam eorum qui viuerent rumusculos quàm historias quæ ad diuturnum tempus loquuntur, sibi verendas iudicauit. Sed & acutè Tacitus monuit faciendum historico vt prauis dictis factísque ex posteritate & infamia sit metus. id quod Regibus inprimis ac Principibus monimento est quorũ maximè facta traduntur posteris. Huc accedit quòd vno eodémque tempore illos non ignominiæ solùm verùm etiam pœnæ qua illos tandem affectos videt, exagitat timor. raro enim audias flagitiosum hominẽ ac perditum non in grauem pœnam, hoc est debitam vitijs mercedem, incidere. cuius rei ij exemplo sint qui recensebantur ad extremum. Tiberium enim incredibili animi cruciatu in solitudine quasi feram, aut etiam veneno absumptũ, videas: Caligulam & Domitianum hostili manu tricidatos, Neronem propria confossum, Commodum Palæstritæ manu præfocatum, Heliogabalum non iugulatum modò verũ etiam in Tyberim proiectum. nam Vitellios, Aquilios, Melium, Gracchos: Catilinam, Cæsarem turpiter necatos nemo est qui nesciat. Sylla etiam pediculari morbo diu multúmque iactatus, ingenti tandem vi sanguinis profusa, miserandum in modum expirauit. Vt propterea vnus supersit Augustus qui infœlicem exitum (fortasse quod placidè imperasset) ignominiámque declinarit: si tamen declinauit. nã viuens tum calamitosis nuptijs vxorúmque acerbitate, tum liberorum orbitate, tum Agrippæ quem sibi adoptauerat, filiæ item ac neptis, infamia, vnde congressu hominum sæpè abstinuit præ pudore, cruciatus, miserè duxit æuum. ita vt
ad

ad omnem Agrippæ Iuliarúmque mentionem ingemiſceret quaſi tribus carnificibus circumuentus vt omittam eius mortem veneni ſuſpicione minimè caruiſſe. Quis igitur Sardanapalum ac cæteros illos qui miſerè item diem clauſerunt ſuum, infamia laborare intelligat apud Hiſtoricos, atque hiſtoriam inutiliter turpia illorum facta notaſſe cenſeat? quis fœminarum illarum raptum tot gentibus calamitates attuliſſe audiat, ac Scriptores induſtriam quaſi pernicioſam damnet? quis denique patriæ oppreſſores omnium calamitoſiſſimos fuiſſe intelligat, inculétque monumenta, quibus eorum facta produntur, hiſtoricorum? certè qui antea quoque Cæſarem cum Craſſo & Pompeio in patriæ perniciem conſpiraſſe legat, ac miſerè trucidatos omnes paulò poſt animaduertat, Manlium inſuper, Saturninum, Cinnam, Sertorium, Antonium, atque alios ſeditioſos ciues ac perduelles multos præmium non diſſimile retuliſſe. Romulum ipſum qui Romanæ fundator Vrbis Imperiíque princeps habebatur, ob interfectum Remum (etſi non propria illum, vt opinor, interfeciſſet manu) Patricidij infamia laboraſſe, ac tandem à Senatoribus ipſis diſcerptum fuiſſe (nam id etiam grauiſſimi teſtantur authores) hiſtoriam frugiferam eſſe atque admonendis mortalibus commodam reputet neceſſe eſt. Denique illud etiam atque etiam eſt reputandum, humanam vitam ſexcentis calamitatibus obnoxiam eſſe, ac nullum vitæ genus, nullam hominum conditionem, ab illis tutam eſſe ſatis. vel certè illi tantùm licere cautiùs agere, ac benè beatéque interdum degere, qui pericula ipſa diligenter proſpexerit quæ declinet tanquam ſcopulos, quíque ſyrtes inter nauigans, portum ſubeat. Itaque mortalium, quibus aſſueſcas oportet, non modò virtutes verùm etiam flagitia ac ſcelera, ac propterea Regum quoque ac nationum odia & bella, inteſtinas item ciuium diſcordias & ſeditiones, proſpectes neceſſe eſt: inter quæ prudentiam perdiſcas & cautionẽ vitæ. alioquin vt te is decipiat ſiue Chorographus ſiue Nauarchus qui cum ſcopuloſum tibi mare ac ſyrtibus plenum ſit nauigandum, tutiſſimum illud deſcripſerit ac ſalebris expers omnibus: ita decipiat nos hiſtoricus qui humanæ vitæ curriculum

riculum optimis virtutum exemplis refertum ostendat : ac vitia quæ tanquam scopuli declinanda sint, prætereat. Quapropter quemadmodum fertur Vlysses Syrenas declinasse quòd antea persensisset illecebris plenos esse illarum cantus & perniciem afferre : ita ex historia discendum est illecebris ac periculis plenam esse vitam vt illis cognitis declinentur faciliùs. Vt omittam virtutes, nisi vitijs cognitis non æstimari pro dignitate : quemadmodũ nec pax, nisi belli calamitatibus perspect s, facilè colitur, nec lucis suauitas ac decus satis agnoscitur nisi tenebras & caliginẽ offenderis aliquãdo.

Dissoluimus (opinor) grauissimam accusationem atque calumniã qua historiæ vtilitates & commoda oppugnabantur: simúlque (ni magnopere quidem fallor) docuimus inde vel maximè historiæ vtilitatẽ ac dignitatem elucere, vnde eã denigrare nituntur aliqui. Nunc liberior ac solutior ad optatas vtilitates progrediatur & in florentissimo ac perbeato illarum campo exultet oratio. At primùm si Authorum multorũ præconia fideliter percensere ac verbis ipsis referre velim quibus illi commendant historiam, compleam equidem omniũ aures & pectus innumeris illius vtilitatibus. sic enim eius dignitatem celebrant vt fructus atque vtilitates plurimas ac magnas commemorent. sed tamen longiùs quàm par est producenda sit disputatio forsitan etiam exitum nullum inueniat; vsque adeò multi & luculenti occurrunt historiæ laudatores. Itaque tantum dicam ex historicis Herodotũ, Thucydidem, Halicarnasseum Dionysium, Polybium, Sallustiũ, Liuium, omnes ferè quotquot historiæ laude claruerunt, eius vtilitates attigisse : ex cæteris scriptoribus innumeros eã cómmendasse : inter quos cum Platonem & Aristotelẽ inuenias: tum M Tullium qui hac in re ferè omnium instar esse possit. Omnes tamen priuatim ac publicè, domi forísque vtilitates habere multas ostendunt : omne hominum genus iuuare omnibus ætatibus prodesse : ac rebus tam aduersis quàm secundis perfugium & adiumentũ afferre. Denique non prodesse modò, verũ etiã delectare ac mirificè recreare mortaliũ animos: ita vt nobis toto pectore amplectenda sit & retinenda.

Historiæ landationes extare apud Authores multos, ex quibus eius vtilitates perdiscas.

Quanquam ne dum ingentem hanc laudu [illegible] proin

vti-

vtilitatum ſyluam ingredi vereor, noſtra exareſcat oratio, & in vbertate ipſa & copia miram offendat inopiam, age dum obſecro hiſtoriæ vtilitates & commoda ad certa capita reuocemus, ac ſi non copioſè & pro dignitate, ſtrictim ſaltem & pro temporis opportunitate proſequamur. Igitur ſic ſtatuo; hiſtoriam hoc eſt antiquitatis ac rerum geſtarum lectionē & cognitionem, ad latinitatem, ad eloquentiam, ad profanā ſacrámque Philoſophiam, ad eruditionem doctrinámque omnem, ad præclaras quoque artes mirificè conferre: maximè verò ad regni, ad Reipublicæ, ad familiæ gubernationem & in vniuersùm ad cautionem & prudentiam rerúmque gerendarum ſcientiam pertinere: mira quoque voluptate reficere animos, & honeſtiſſima vitæ oblectamenta ſuppeditare. Ac de ſingulis dicendum nobis eſt hoc tempore, ne tot tantáſq; vtilitates capiendi ratio mortales lateat, ſed publicè priuatímque in promptu ſit omnibus.

Proponuntur in vninersùm Hiſtoriæ commoda & vtilitatum capita.

I. Caput. Latinitatē ex hiſtoricis maximè hauriri.

Principiò igitur ad latinitatē (idē tu de cæteris linguis colligito quæ hiſtoricos eóſq; laudatos habeāt) conducit hiſtoria. etenim innumera ſunt quæ Grāmaticus (lubet enim à germanis latinitatis initijs & fundamētis incipere) ab Hiſtorico diſtat oportet vbi munus tueri velit ſuū. ſiquidem plurimæ ſunt & voces & dicēdi formulæ quas ab vnis hiſtoricis haurias: quáſque cū latinitate congruere nunquā oſtendas niſi ad Hiſtoricorū exēpla confugias. Etſi enim non inficior congruas latinæ orationis, & voces & formulas multas à Terentio, Tullio, Virgilio, ac ſummatim à bonis Poëtis & Oratoribus hauriri, ac nō ſinè magna laude hauriri, plures tamen à Cæſare, Salluſtio, Curtio, Liuio, Suetonio, Valerio Max. Gellio, Probo, Iuſtino, Tacito etiā interdū & Plinijs, adde à Cenſorino ac vetuſtioribus hiſtoricis quibuſdā (horū enim fragmenta ſaltē extant varia) deriuātur: præſertim verò quia congruēs latinitat.q; conſentiens oratio ab hiſtorico multò magis exigitur quàm à Poëta vel Oratore. Poëta enim metri aut ſplēdoris cauſa ſæpè ab vſitato, ne dicā congruo, dicēdi genere peregrinatur, ac ſummatim nullam vocū dictionúmque peregrinitatē & inſolētiā magnopere pertimeſcit; Orator enim (id quod in M. Tullio obſeruāt aliqui) granditatis interdum,

interdum nouitatis causa; vel vt populo seruiat, tantisper Grammaticos audet negligere: Historicis contra eorũ instar scribendum est qui accuratè congruentérque loquuntur, ac propterea latinitatis idea spectanda est. qua in re eò magis probanda est historicorum industria, quòd dictionem (ne scilicet putida euadat ac permolesta) variare nonnihil debeãt, ac dicendi formulas & vias non quidem ostentationis sed satietatis vitandæ causa peragrare omnes. Vt propterea cum verborum delectus sit origo latinitatis, copia verò tanquam succus & sanguis, Latini quos recensebam historici, diu noctúque terendi ac peruolutandi sint: ita tamen vt ab ijs qui ad incorruptam latinitatis ætatem, hoc est ad Ciceronis, Cæsarísque sæculum accessere propius, minùs sit discedendum. Nã si ad latinitatem pertinere dixeris non modò emendatæ orationis præcepta & documenta verùm etiam abditas quasque vocum ethymologias & origines, quin parœmias, apophthegmata, & huiusmodi alia quæ vt ab antiquis fermè institutis & euentibus orta, ex antiquitate sunt repetenda, nemo non intelligat hæc Historicis inconsultis percipi nullo modo posse.

Certè si ex te requirat aliquis quid sibi velint Comitia Calata, quid Curiata, quid Tributa, quid Centuriata; qui sint Celeres, qui Fœciales, qui Salij, qui Flamines, qui Epulones, qui Fratres Aruales, quis pater patratus ac summatim ad Magistratus eorúmque nomina & munera, aut ad sacrificia, ad ludos, auguria, ad prænomina, ad legum multarum nomenclaturam & id genus alia quæ sunt innumera, excurrat latiùs, nisi ad Dionysium & huiusmodi Historicos confugias, aut Gellium, Pomponium Lætum, vno verbo eos qui in historijs nauiter versati sunt, audias, profectò nutes, sæpè etiã conticescas, necesse est. & tamen ijs leges, oratores ac latini authores sparsi sunt vndique.

II. Caput. Oratori vel maxime necessarium esse rerum gestarum atque historiæ studium.

Iam verò magnas Oratori vtilitates afferre historiam, vel potiùs Oratoris industriam sine accurato historiæ & antiquitatis studio futilem esse ac penè ociosam, ij docẽt qui Eloquentiæ laude ac præceptis tantopere claruerunt Aristoteles & M. Tullius. Ille enim enthymematis & exemplis Orato-

ri certandum monet passim: ita vt hac de causa oratoriam dictionẽ in enthymematicã paradigmaticámque distribuat. Hac etiã de causa de ratione illum admonet qua tum enthymemata seu ratiocinationes, tum paradigmata seu exempla aptè vsurpet & ad persuadendum accommodatè, vt proinde Aristotele authore bona orationis pars occupetur exemplis: ac iurè: quandoquidem apud multitudinem (id quod Aristoteles ipse sæpè docet) exempla maximè valent. at hæc ex rebus gestis fermè & antiquitatis memoria petenda sunt, & diligenti historiarũ lectione perdiscenda. Atque id (opinor) M. Tullium adduxit vel maximè vt Oratori iniũgeret historiæ scribendæ munus. neque enim is erat M Tullius qui nõ intelligeret historicam dictionem ab Oratoria differre, ita vt in ea proprietas & breuitas, in hac splendor & copia, requiratur: illam denique non horrido quidem stylo & inculto, sed simplici tamen & æquabili, hanc operoso & ornato scribendam esse: sed eò spectabat magnus Author, quòd cũ animaduerteret à latinis historiam rudi admodum stylo fuisse scriptam, magnopere optaret vt Orator historiæ scribendæ prouinciam susciperet, qui aliquid nitoris (id quod iandiu Græci fecerant) & elegantiæ adiungeret orationi. Quod munus eò faciliùs ab Oratore obiri ac sustineri posse intelligebat quòd historię tractatio & scriptio admirabilem Oratori suppeditare possit vim argumẽtorum & copiã, & hac planè de causa tam sæpè monuit Oratori monumenta rerũ gestarũ & totius antiquitatis perspectata esse debere. sed ad Aristotelẽ redeo: nã de M. Tullio copiosiùs paulò post. etenim cum ad genera singula in præceptionibus oratorijs descenderet Aristoteles, monebat in deliberatiuo genere quod etiã longè anteponebat cæteris, historiæ cognitionẽ valere plurimùm. Itaque cũ in hoc genere de bello & pace, de vectigalibus, déque ferendis legibus atque huiusmodi alijs consultandum sit, non modò semel sed iterũ ac tertiò nobis in memoriam reuocauit ad historias confugiendũ, vt inde intelligamus quibus artibus tum vectigalia publicíque sumptus sustineri & augeri possint, tum de bello ac pace déque legibus cõmodè sententiam dicere liceat. Ἀναγκαῖον (inquit) καὶ τῶν

τοῖς ἄλλοις εὑρημένων ἱστορικὸν εἶναι πρὸς τὴν περὶ τούτων συμβουλήν. *Historiarum peritum esse oportet qui benè de his rebus consulturus sit; vt sciat quomodo aliæ nationes ad hanc rem idoneas rationes inuenerint.* sic Aristoteles vt de pecunijs vectigalibúsque parandis, vel augendis non ieiunè sententiam dicat Orator. *Qui verò de bello & pace consilium daturus sit, hunc,* (inquit) *nosse oportet nō modò præsentes copias Ciuitatis quæque parari possint, verùm etiā quæ bella gesserit & quo exitu: neque proprias Ciuitates tantùm verùm etiam finitimorum: quin aliorum etiam populorū animaduertet bella, & quem exitum habuerint:* ἀπὸ γὰρ τῶν ὁμοίων τὰ ὅμοια γίγνεσθαι πέφυκεν. *è similibus nanque similia euenire consueuerunt.* & rectè. siquidem rerum gestarum exempla sunt exempla gerendarum: ac res præteritæ sunt futurarū indices & internunciæ. Itaque elegāter apud Virgiliū Diomedes Latinis dissuadet bellū aduersus Æneā & Troianos quòd infœlicé obseruasset Græcorum exitum qui cum illis bellum gessissent.

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonij, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violauimus agros,
(Mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis
Quos Simois premit ille viros) infanda per orbem
Supplicia & scelerum pœnas expendimus omnes.

& rursus.

Ne verò ne me ad tales impellite pugnas:
Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini lætorve malorum.
Munera quæ patrijs ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aeneam: stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum aßurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idea tulisset
Terra viros, vltrò Inachias venißet ad Vrbes
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ ceßatum est mœnia Troiæ
Hectoris Aeneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, & in decimum vestigia retulit annum.

Ambo

Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis.
Hic pietate prior. coeant in fœdera dextræ,
Quà datur: ast armis concurrant arma, cauete.
Et responsa simulque sint, rex optime regum,
Audisti & quæ sit magno sententia bello.

sed ad Aristotelem rursus qui vt multa paucis cõplectatur, concludit in consilijs publicis historiarum & antiquitatis cognitioné mirificè conferre. etsi enim ad leges ferendas Terrarum quoque peregrinationes aliquid conducunt, historiæ tamen politicis cõsultationibus vtiles sunt vniuersis. Neque verò nòn magnam in generibus reliquis exemplorũ habuit rationem: siquidem monuit exempla pro testibus haberi (id quod iudicialis generis interest) & in vniuersùm exẽpla pro enthymematibus ac demonstrationibus vtiliter & in quolibet causæ genere vsurpari. Nũc venio ad M. Tulliũ: qui profectò nunquam ferè non antiquitatis historiæque studiũ in memoriam reuocat Oratori. *Cognoscat Orator* (inquit M. Tullius) *rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem maximè scilicet nostræ Ciuitatis: sed & imperiosorum populorum, & regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor; qui conseruatis notatisque temporibus, nihil cum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit.* Hæc M. Tullius: qui sanè eiusmodi præceptum egregiè comprobauit cum pergeret è vestigio. *Nescire autem quid antea quàm natus sis acciderit, id est semper esse puerum. quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum gestarum, cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorũque prolatio summa cum delectatione & authoritatem Orationi affert & fidem.* quibus, si quis attentiùs æstimet, ostendit nõ quidem viri & Oratoris sed pueri & infantis esse antiquitatem ignorare (quam sanè rationem ex Platone hausit: ita vt authoris maximi & laudatissimi testificationé tacitè adiunxerit) & verò eius commemorationé Oratori authoritatem (id quod vel maximè spectatur in Eloquentia) ac fidem afferre. Quapropter huiusmodi præceptum mirificè semper coluit, ita vt hac de causa paradigmaticus & exemplis instructissimus censeatur. etsi enim enthymematibus haud caret, exemplis tamen ac rerum gestarum commemoratione ma-

gnopere delectatur. Itaque vt suadeat bellum cõtra Mithridatem Pompeio duce instaurandũ, attingit quæ siue pro Populo Romano à Sylla primùm, tum à Murena, tum à Lucullo, tum à Glabrione, siue contra Populum Romanum à Mithridate & Tigrane gesta sint. vt Catilinam perduellem oppugnet ex antiquitatum repetit monumentis quæ tum à C. Seruilio Ahala contra Sp. Melium nouis rebus stridentem, tum à P. Scipione & L. Opimio contra Gracchos & M. Fuluium seditiosos Ciues, tum à C. Mario cõtra L. Saturninum Tribunũ & C. Seruilium Prætorem Reipub. insidiantes, facta essent. Idem in Oratione ad Quirites dum suum in patriã reditum cum P. Popilij, Q. Metelli, C. Marij reditu cõparat vt inde sibi dignitatem auctam doceat. *Tanta* (inquit) *in ipso beneficio est magnitudo, vt eam complecti oratione non possim: tum in studijs vestris tanta animorum declarata est voluntas, vt non solùm calamitatem mihi detraxisse sed etiam dignitatem auxisse videamini. non enim pro meo reditu ut pro P. Popilij nobilissimi hominis adolescentes filij & multi præterea cognati atque affines deprecati sunt; non vt pro Q. Metello clarissimo viro, iam spectata ætate filius; non L. Dalmatius consularis sũma authoritate vir; non Q. Metellus Censorius, non eorum liberi; non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat; non sororum filii Luculli, Seruilij, Scipiones: permulti enim tum Metelli, aut Metellorum liberi pro Q. Metelli reditu vobis ac patribus vestris supplicauerunt, quod si ipsius summa dignitas maximæque res gestæ non satis valerent: tamen filij pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, maiorum natu lacrumæ populum R. mouere potuerunt. nam C. Marij qui post illos veteres clarissimos consulares, vestra patrumque memoria, tertius ante me consularis subijt indignissimam fortunam præstantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. non enim ille deprecatione redijt, sed in dissensu ciuium, exercitu se armisque reuocauit. Me autem nudum a propinquis nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, C. Pisonis generi mei diuina quædam & inaudita authoritas atque virtus fratrisque mei miserrimi atque optimi quotidianæ lacrumæ sordesque lugubres a vobis deprecatæ sunt.* sic Cicero. Atque huc sanè spectat præclara illa quæ in Miloniana extat commemoratio antiquitatis,

Negant

Negant intueri lucem fas eße ei qui à se hominem occisum eße fateatur. In qua tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij, fortissimi viri: qui, nondum libera ciuitate, tamen populi Rom. comitijs liberatus est, cum sua manu sororem interfectã eße fateretur. an est quisquam qui hoc ignoret cum de homine occiso quæratur aut negari solere omnino esse factum, aut rectè ac iurè factum esse, defendi? nisi uerò existimatis dementem P. Africanum fuiße; qui cum à C. Carbone Tribuno pl. in concione seditiosè interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit iurè cæsum videri. neque enim posset aut Ahala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me Consule Senatus non nefarius haberi si sceleratos ciues interfici nefas esset, Huc etiam pertinent egregiæ illæ voces quæ in Maniliana item ad populum excitandum leguntur. *Maiores uestri sæpè mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosiùs tractatis, bella gesserunt: uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eße debetis? Legati quòd erant appellati superbiùs, Corinthum patres uestri totius Græciæ lumen extinctum eße uoluerũt: uos eum regem inultum eße patiemini, qui legatum Populi Ro. consularem uinculis ac uerberibus atque omni supplicio excruciatũ necauit? Illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt: uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum, illi persecuti sunt: uos legatum Populi Rom. omni supplicio interfectum inultum relinquetis?* Et post paulò. *Si propter socios nulla ipsi iniuria laceßiti maiores uestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis bella geßerunt, quanto uos studio conuenit iniurijs prouocatos sociorum salutẽ unà cum imperij uestri dignitate defendere?* Dies me deficiat si orationes peragrare omnes velim in quibus exẽplis iisque ex antiquitate deriuatis, &, vt semel dicam, historiarum monumentis, fidem auditoribus facit Quanquam cum satis constet Romanæ eloquẽtiæ principem & Oratori præcepisse vt rerum gestarum ac totius antiquitatis cognitioni studeret, & præceptum ipsum perpetuò ac magno cum eloquentiæ bono coluisse, nihil attinet hac in re longius facere.

III. Caput. Ab Historia item multa & magna Poetæ adiuméta suppeditari.

Sed quoniam docuimus quot quantásque tum latinitatis tum eloquentiæ opes atque præsidia in suo veluti sinu complectatur Historia, age dum paucis ostendamus quàm multa & magna adiuméta suppeditet Poëtæ. Qua in re sic statuo. Poësim, quoniã fabula humanas actiones imitatur, nihil esse aliud quàm germanum historiæ simulacrum & imitamentũ. Itaque videas Comœdiam populares actiones ac vulgares, Tragœdiam regias & illustres, Epopœiam, & Dithyrambicã heroicas ac ferè diuinas, imitari: cæteras denique Poëmatis formas ad humanas item actiones diuertere. Et quanquam reuera Comicus humana facta non perinde ac Tragicus & Epicus imitatur, cum in vera fermè intueantur ij, ille contra fabulam comminiscatur etiam & fingat; vtrique tamen verisimili student atque humanos euentus quoquo modo exprimunt & imitantur. Denique frequenter mortalium casus ac res gestas commemorat Ecloga, celebrat Lyricus, mordet & carpit Satyricus, Elegiacus lamentatur, Epistolæ fictor nunciat, ita vt sinè historia Poësis arescat atque adeo concidat ferè tota. Huc accedit quod tunc mirificè delectat Poëta cum nouos casus profert: ac fortunæ varietatem inopinatos euentus, affectus denique varios obijcit mortalibus: quæ sanè omnia ab historicis vel vnis vel maximè mutuari licet. historiæ nanque (vt est apud M. Tullium) habent sæpè excellentis viri ancipites ac varios casus, admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: quod si exitu notabili cõcludantur, expletur animus iucundissimæ lectionis voluptate. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, postea quã ei percunctanti dictum est clypeum esse saluum: vt etiam in vulneris dolore æquo animo moreretur. Sed vt de re planiùs constet, age dum ad Virgilij Æneidem traducatur oratio, nam quid quæso Æneis continet nisi Augusti ac populi Romani antiquitatem, originem, facta, vno verbo historiam vniuersam? Quapropter in ea, nisi te ordo rerum tantisper commoueat, Ilij obsidionem & excidium habes, Æneadum in Italiam aduentum, bella quæ cum Rutulis Latinísquẽ gesse-

gesserunt, nouam Vrbem ædificatam, vnde Albani Reges primùm tum Romani, mox cæteri proceres ad Augustũ vsque sunt propagati; ita vt qui de Augusti progenie historiam condidit Messala, ijs fermè illam concludat vniuersam. Quapropter Virgilius (id quod rei nostræ interest) ex vniuersa populi Romani antiquitate sic hausit, vt non facilè statuas nũ M. Tullio Romanæ antiquitatis cognitione quidquam concedat. Cum enim Anchisem Æneæ prolem & posteritatem narrantem faceret, quid, obsecro, præclarum occurrebat quod non cursim saltem sed tamen magna cum rerum gestarum significatione attigerit & decantarit? Vt minimè mirum videri debeat nobilem hunc Poëtam à nonnullis Populi Romani historicum, Æneidémque ipsam Populi Romani historiam appellari. Sed Virgilium ipsum, si placet, audiamus Romanam historiam sigillatim perstringentem.

Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille (vides?) pura iuuenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca: primus ad auras
Aetherias Italo commistus sanguine surget,
Syluius Albanum nomen, tua posthuma proles.
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis regem, regumque parentem:
Vnde genus longa nostra dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Troianæ gloria gentis;
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddat,
Syluius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si vnquam regnandam acceperit Albam.
Qui iuuenes quantas ostentant aspice vires,
Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum, & Gabios, Vrbemque fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pomerios castrumque Inui, Bolamque, Colamque,
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin & auo comitem sese Mauortius addet

Romulus, Aßaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. viden' vt geminæ stant vertice cristæ?
Et pater ipse suo superum iam signat honore?
En huius nate auspicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo:
Septemque vna sibi muro circundabit arces:
Fœlix prole virum: qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes
Læta deûm partu, centum complexa nepotes;
Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc gemi nas nunc flecte acies: hanc aspice gentem,
Romanosque tuos. hic Cæsar & omnis Iuli
Progenies magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis
Augustus Cæsar diuûm genus: aurea condet
Secula qui rursus Latio, regnata per arua
Saturno quondam super & Garamantas & Indos
Proferet imperium iacet extra sydera tellus
Extra anni Solisque vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
Huius in aduentu iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent diuûm, & Mæotica tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.
Nec verò Alcides tantum telluris obiuit
Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu:
Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani, pr:mus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis & paupere terra
Mißus in imperium magnum; cui deinde subibit
Otia qui rumpet patriæ, residesque mouebit
Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina. quem iuxta sequitur iactantior Ancus.

Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & Tarquinios reges, animamque superbam
Vltoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis imperium hic primus, sæuasque secures
Accipiet: natosque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix vtcunque ferent ea fata minores:
Vincet amor patriæ laudumque immensa cupido.
Quin Decios Drusosque procul sæuumque securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.
Ille autem, paribus quas fulgere cernis in armis
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint & quantas acies stragemque ciebunt.
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci
Descendens, gener aduersis instructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertice vires
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis olympo:
Proijce tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas:
Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ:
Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ, paruoque potentem,
Fabricium? vel te sulco Serrane serentem?
Quò fessum rapitis Fabij? tu Maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius: cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem.
PARCERE subiectis & debellare superbos.

sic Vir-

sic Virgilius. apud quem, vt de Marcello Augusti nepote caneret, sic rursus ab Marcello altero cóque clarissimo, exorsus Anchises.

Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos Gallumque rebellem:
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas (vnà nanque ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis:
Sed frons læta parum & deiecto lumina vultu)
Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem?
Filius? an ne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.
Tum pater Anchyses lacrymis ingreßus obortis,
Gnate, ingentem luctum ne quære tuorum.
Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuißent.
Quantos ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus? vel quæ Tyberine videbis
Funera, cum tumulum præter labere recentem?
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos, nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus iactabit olympo.
Heu pietas, heu prisca fides, inuictaque bello
Dextera non illi quisquam se impune tulißet
Obuius armato, seu cum pedes iret in hostem
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer, si quà fata aspera rumpas.
Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: animamque nepotis
His saltem accumulem donis & fungar inani
Munere——

His Romanam Historiam prosequutus est laudatissimus Poëta. quam enim eiusdem notitiam ostendit dum apud eũ Iuppiter siue spe posteritatis atque Æneadum Imperij solatur

tur Venerem, siue Annibalem Italiæ atque Vrbi excidium minitantem Deorum præmonstrat concilio, siue de futura Romanorum prole Iunonem admonet, libenter præteribo ne sim prolixior. Tametsi quam in Vulcani clypeo describendo egregiam adhuc Romanæ antiquitatis scientiam refert Virgilius non prætermittam quòd videam quicquid ferè Anchises de re Romana vel dissimulasset vel strictim attigisset (quia scilicet prolem vel maximè commonstrandam susceperat) id mira venustate ab ipso Poëta explicari dum canit,

Illic res Italas Romanorumque triumphos
Haud vatum ignarus venturique inscius æui.
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam & raptas sinè more Sabinas
Consessu caueæ, magnis Circensibus actis
Addiderat: subitoque nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni Curibusque seueris.
Post ijdem inter se posito certamine reges
Armati Iouis ante aras paterasque tenentes
Stabant & cæsa iungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per syluam, & sparsim rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentique vrbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres pontem auderet quod vellere Cocles
Et fluuium vinclis innaret Clœlia ruptis
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis

Stabat

Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adeße canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. duo quisque Alpina coruscant
Cæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, & lapsa ancilia cælo
Extuderat: castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarumque ora trementem
Secretosque pios, his dantem iura Catonem.
Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea: sed fluctu spumabant cærula cano:
Et circùm argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Feruere Leucatem, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar
Cum patribus populoque penatibus & magnis dijs
Stans celsa in puppi geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sydus.
Parte alia ventis & Dijs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum
Tempora nauali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica varijsque Antonius armis
Victor ab auroræ populis & littore rubro
Aegyptum viresque Orientis, & vltima secum
Bactra vehit. sequiturque (nefas) Aegyptia coniux.
Vna omnes ruere ac totum spumare reductis
Conuulsum remis, rostris stridentibus æquor.

Alta petunt: pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stupea flamma manu, telisque volatile ferrum.
Spargitur: arua noua Neptunia cæde rubescunt.
Regina in medijs patrio vocat agmina sistro,
Nec dum etiam geminos a tergo respicit angues
Omnigenûmque deûm monstra, & latrator a nubis
Contra Neptunum & Venerem contraque Mineruam
Tela tenent: sæuit medio in certamine Mauors
Cælatus ferro tristesque ex æthere Diuæ
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam consanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus & Indi
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & lapsos iam iamque immittere funes
Illam inter cædes, pallentem morte futura,
Fecerat ignipotens vndis & Iapyge ferri:
Contra autem magno merentem tempore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, dijs Italis votum immortale sacrabat
Maxima tercentum tota delubra per vrbem.
Lætitia, ludisque viæ, plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi strauere iuuenci.
Ipse sedens niueo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus. incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis & armis.
Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros:
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat iam mollior vndis:
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Daæ, & pontem indignatus Araxes.

Talia per clypeum Vulcani dona parentis
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque, & facta nepotum.

sic Virgilius Romanæ studiosissimus antiquitatis. Qui item alijs in locis multis ita diligenter ac scitè in historias intuetur dum aliquid siue commemorat siue describit & imitatur, vt nihil perfectius expeti possit & elegantius.

Tum vos o Tyrij stirpem & genus omne futurum
Exercete odijs: cinerique hæc mittite nostro
Munera: nullus amor populis nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.
Nunc olim quocunque dabunt se tempore vires
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotes.

hæc Dido morti proxima: quibus adamussim Carthaginensium describit mores atque implacabile in Romanos odiũ, & sigillatim Annibalis, quem satis constat priùs in Romanos odium & hostilitatem iurasse quàm per ætatem exercere posset, ac veriùs natum Romanorum hostem quàm factũ. Itaque dum hoc in loco Virgilianam Didonem audio, satis intelligo iurè scripsisse Historicos Annibalem Romanorum furiam fuisse ac facem, & vbi Annibal esset, ibi Romanorũ pacem inueniri non potuisse. Atque hanc planè facem, hunc fœdifragum hominem, quasi vates imprecatur ac præstolatur Dido. Denique nunquam Liuium audio de Annibale scribentem *Has viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquàm Punica: nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio*; quin is mihi in mẽtem veniat quem Dido ex Punica gente exoriri cupit qui Iusiurandum fidémque ac fœdera cõtemnat ac face & ferro Dardanios insectetur perpetuò. Atque hæc de Virgilio. Nam ad Ouidium in quo Romana antiquitas & chronologia residet omnis, aut ad Venusinum Flaccum qui item eleganter Augusti, Mœcenatis, Agrippæ aliorúmque sæpè ornat facta, diuertere non necesse est, cum ex Virgilio quod institueram, satis fuerit comprobatum.

Quæ

IV. Caput. Theologiæ quoque historiam esse pernecessariam.

Quæ cùm ita sint, nemo non fateatur politiores litteras ac liberalium artium studia, nisi historię societate gaudeant, exarescere: contra verò vbi præsidia rerum gestarum accesserint & monumenta, mirum in modum efflorescere. At enim sint ista, verùm quas, obsecro, vtilitates ex historia capit Christianus Theologus? quas naturalis Philosophus aut Mathematicus? quas Iurisconsultus aut Medicus? Ego verò de Theologo sic sentio; huic primum in diuinorũ librorum Oraculis hærendum: ac propterea vel quia sacræ litteræ Mundi incunabula & antiquitates offerũt statim, vel quia mortalium procreationem & facta continenter narrant, vel quia Ecclesiæ originem & propagationem, quaéque per Reges inprimis & Sacerdotes ducitur, Christi genealogiã continent, vel quia Prophetarum meditatio accuratam temporum & antiquitatum requirit cognitionem, vel demum quia Hebræi populi bella, victorias, clades, vno verbo dicta factáque persequuntur, ego quidem Theologum ab Historico nunquam dissociarim: sed eũ qui diuinos hosce libros euoluat ac tractet, non minùs historicum quàm Theologum haberi iubeam. tantum abest vt eos audiendos putem qui, nescio quo pacto, iactant historiæ studium ad Theologum nõ pertinere. ac profectò, nisi quispiam Philosophum quoque aut Astrologum qui res naturales aut astrologorum rationẽ tractet, temerè Philosophum aut Astrologum appellari dictitet, Theologum quoque, dum Hebræorum facta ac res subinde à liberatore nostro & Apostolis gestas agnoscit expendítque ac propterea historici personam subit, historicum appellet necesse est. Atque idem fermè dixerim si quis studium ad Apostolicas traditiones Ecclesiaéque ritus, summorúmve Pontificum, Conciliorum, martyrum, ac sanctissimorum Antistitum acta, traduxerit, addo etiam nefarios tyrannorum Schismaticorúmve aut etiam Hæreticorum in Ecclesia labefactanda conatus, nostrorúmque in eâdem tuenda labores & facta, reputet ac meditetur. hæc enim actuosa sunt omnia & ad rerum gestarum naturam accedunt, ita vt ab historia vix ac ne vix quidem dissociari valeant. Quapropter vt tibi concessero eum qui diuinos libros ac cætera quæ

comme-

commemorabam euoluat, Theologum videri posse, tu contra fatearis oportet historicum quoque (sacrum tamen non profanum) habendum & appellandum esse. Vnam fortasse scholasticam Theologiam proferas à qua historiæ absit tractatio. sed qui me in consilium adhibeat, scholasticũ Theologum tum demum diuina decreta pro dignitate tractare ac suo munere satisfacere posse animaduertet, cum ab sacrorũ librorum historijs incipiẽs, ac cætera quæ percensebam Ecclesiæ monumenta consulens, diuina quoque & Ecclesiastica historia compleuerit pectus. quam rem exemplis consirmarem luculentis, nisi id alibi copiosè disputassem. Tu, si placet, ea consulito quæ de tota hac re docuimus in ea Disputatione quam de Baronij Cardinalis Annalibus iandiu scripsimus ac publicis litteris consignauimus. vbi enim animaduertes cum perfectum Theologũ à nobis describi, quæque doctrinarum studia in eo requirantur ostendi, tum maximè doceri sinè antiquitatis ac rerum gestarum cognitione Theologo hærendum sæpè ac tanquam in salebris insistendum.

V. Caput. In Philosophiam naturalem quoque commodè aliqua ex historia deriuari.

At quæ demum ad naturalem Philosophiam vtilitates & commoda deriuantur ex historia? age dum, obsecro, si vales, Physico illa ostendas. Ego sanè, quoniam sentiebam eam Philosophiæ partem quæ in actione posita est, rerum gestarum monumentis incredibiliter iuuari atque ingentes inde vtilitates referre, contra verò alteram quæ in contemplatione versatur, non ita magnos ne dicam exiguos, inde fructus percipere, haud committendum putaram vt me in hac conquisitione detineret Contemplatrix. Atque ob id sanè de physiologia sigillatim nihil receperam. Sed tamen, quoniam sic vrges, non feram vt se Physicus nihil historico debere glorietur. Ergo cum ab ijs quæ oculis cernerentur & admirationem cierent, initium duxerit naturalis Philosophia, ac summatim ex ijs quæ sub sensum cadunt deriuetur Physicorum scientia, quæ verò sub sensum cadunt, sint res singulares, quis non animaduertat historiam quæ res singulas prosequitur, infinitam rerum quasi syluam naturali Philosopho suppeditare, vnde in rerum naturalium cognitione

profi-

proficiat? ſanè quicquid de metallis, herbis, plantis, animantibus diſputat Phyſicus, & vt me ſemel explicem, quicquid in hoc Mundi Theatro nobis offert Natura, id Hiſtoriæ quoquo modo acceptum referat neceſſe eſt. Itaque videas Ariſtotelem, Theophraſtum, Plinium, Dioſcoridem alióſque multos animalium, plantarum ac reliquarum rerũ naturalium hiſtoriam conſcripſiſſe. Et quanquam ægrè conceſſerim Ariſtotelem interim ac cæteros quos recenſebam authores in libris illis propriè ac verè hiſtoricos eſſe habendos, cum non tam animantes verbi gratia aut plantas ſingulas quàm genera & formas ſpectent & complectantur, ac propterea de quercu aut equo vniuerſim non de Dodonæa aut Bucephalo ſigillatim, verba faciant, veruntamen illud mihi videor conſtanter affirmare poſſe, ex animantium & rerum ſingularum ſpectatione & obſeruatione, vno verbo experientia quæ in rebus ſingulis occupatur ad generum & formarum originem deueniſſe.

Quanquam ne te ijs veluti nodis inuoluam quibus ipſe vno eodémque tempore implicer, ſic ſtatuo. veriſſimè quidem dici eos libros, niſi de nomine diſputemus, non hiſtoricos ſed naturales habendos eſſe, cum in generum ac formarum natura verſentur. iurè etiam ſtatui inde hiſtoriæ nomen retuliſſe quòd rerum ſingularum obſeruatione experientiáque ipſa ſeu inſpectione (id quod animalium hiſtoriæ inprimis contigit dum vterentur anatomè) doctrina illa vel maximè pararetur: ita vt ea quoque ob oculatam teſtificationẽ hiſtoriæ nomen meruerit, præſertim verò cum deinde non tam accurata cauſarum tractatione (etſi quæ à fine ducitur in pleríſque non indiligenter explicatur) quàm ſimpliciore ſtylo conſcripti ſint, quique ad hiſtoricum accedere videatur. Denique illud etiam (vt liberaliter tecum agam) conceſſerim, germanam hiſtoriæ vim & naturam ijs rebus conuenire quæ ſingulares quidem ſunt, ſed tamen ab homine geruntur & actione continentur atque hoc nomine hiſtoriam rerum geſtarum optimo iure cenſeri & appellari. ex quo ſanè fit vt qui in rebus ſingulis quæ hominis electione geruntur & in vniuerſùm actionum aut rerum geſtarum

nomine concluduntur, narrandis nulla ex parte occupetur, sed aliud rerum singularum genus prosequatur, germanus historicus haberi atque omnibus calculis renunciari nullo modo queat. Sed tamen illud quoque fatendum est, vsu receptum esse vt qui humanas actiones ac facta narret historicus, hic res quoque singulas persequi & possit & debeat quæ etsi hominis propriæ non sint, cum mortalium tamen periculis commodis, gubernatione, salute, vita coniunctæ sunt. huiusmodi censeantur quæ interdum contingunt eluuiones, pestilentiæ, exustiones, terræmotus, sterilitates, ingentésque calamitates. tales extraordinariæ siue fructuum frugúmque vbertates, siue cœli serenitates, marísve tranquillitates, ac res nouæ in primis & admirabiles quæ præter consuetudinem contingant. Itaque liceat tibi ex historicis tum ingentes eluuiones & exustiones (quia scilicet mortalibus calamitatem attulerint) colligere & cæteras illas quas recensebam calamitates aut opportunitates haurire: tum Cometarum, geminati Solis, nonorúmque syderum ortus, vno verbo, monstra & portenta quæque agnoscere, & id genus alia quibus terreri mortales solent. vt enim vel hominis interitum prænunciare ac summatim ad mortales pertinere iudicantur, & admirationem ingentem ciere solent, historicorum monumentis dignissima reputantur. hinc librum integrum memini me legere in quo ab omni antiquitate ex historicis Cometarum ortus notarentur, prodigia quoque à Liuio atque alijs multis vsque adeò accuratè recenseri videas, vt eos fortasse intemperantes ne dicam superstitiosos existimes. denique, ne consecter omnia, nos etiam varias quasdam & ingentes mortalium clades, omnes quoque Tyberis inundationes, nec aliunde quàm ex historicorum monumentis, collegimus, ac pro re nata litteris exarauimus. Quæ cum ita sint, iam licet animaduertere Physicum, cuius est eluuionum, exustionũ, Cometarum, & eorum denique omnium quæ recensuimus vim & naturam perscrutari, nonnihil iuuari posse ab historico qui hæc mandauerit monumentis, atque illorum exortus defectionésque notarit. Nam qui eos in consilium ad-

hibeat qui historiam pugnant esse rerum singularum narrationem siue humanæ illæ sint, siue naturales, siue rursus necessariò contingere videantur, siue casu, huic sanè fatendum est Physiologiam penè totam ex historijs pendere ac deriuari. Vt omittam Physicos atque adeò Philosophos ipsos nisi ad historicos confugiant; nec Philosophiæ originem & antiquitatem, aut progressiones & incrementa, nec Philosophorum sectas & varietatem, nec quæ tempora, quæ regio, quæ vrbs, quæ gens aut natio Philosophiæ laude claruerit, ignoscere posse. denique non Philosophorum quæ extant aut interierunt monumenta, non miram decretorum varietatem, non discordiarum rationem, sectarum originem, nomina, œconomiámque tenent: cum hæc fermè omnia ex historicorum antiquitate sint repetenda. quid plura? ne proprij quidem nominis rationem nouerint, & cur Philosophi appellentur, nisi id quoque discant ex historijs. Vt propterea non facilè iactandum sit Philosophis naturalem Philosophiam ex historia vtilitatem capere nullam.

Minùs fortasse concesserim Geometram & Arithmeticū, vno verbo, Mathematicum ab historico adiumenta referre, vt enim hîc ad mortalium actiones & facta intendit animū, ille contra ab humanis rebus & caducis seuocat cogitationem ægrè profectò munera permiscent sua. Ettamen inde saltem Mathematici iuuantur historia, quòd ex hac suā originem intelligunt: nisi enim eam Historicorum industria ab temporis vendicasset iniuria, obliuionis aut ignorationis caligine premeretur. Quin Geometræ suæ ortum disciplinæ ex ijs ducunt quæ sunt propria historicorum; nimirum ex varijs Nili inundationibus earúmque notationibus. Quod si etiam illius originem ad Abrahamum & Noë reuocare iuuet, quin hos Matheseos vniuersæ authores facere, id quoque historiarum confirmant monumentis. denique longè variæ ac multæ sunt præclaræ huius facultatis seu disciplinæ partes, quaéque ab illa tanquam à fonte riuuli deriuantur formæ: ex quibus aliquæ naturali Philosophiæ aut ciuili seu mauis militari scientiæ admiscentur.

VI. Caput. Nónihil etiā adiumenti ex historiis referre Mathematicum.

ita fit vt quemadmodum reliqui Philosophi, ita Mathematici ex historijs delibent multa. quapropter quæ de Archimede ac Geometricis eius inuentis prædicantur, ab historicis etiam hauriunt Geometræ; nec sinè compendio ad gloriam referunt suam quæ item de machinis Vrbium expugnationi adhibitis apud Cæsarem, Iosephum atque alios offendunt, quæ de mensuris ac ponderibus apud Plinium, Suidam, Pollucem & consimiles exarata inueniunt, suæ item vertunt laudi. id quod ij etiam sentient qui ea percurrant quæ de tota rerum Mathematicarum varietate copiosè disputat Strabo Historicus nobilis. quæque Vitruuius, Frontinus ac Mathematici & Architecti ab Historicis vsurparunt. Quid multa? de Astrologiæ ortu, antiquitate, progressionibus, qui hac laude claruerint Astrologi, vbi locorum floruerint, quæ in hac facultate admirabili antiquitùs aut posterioribus seculis inuenta, & à quibus inuenta fuerint, exponi ab historicis nihil est quod dubitemus, ita vt vel eius conspicilij vnde noua sydera inuenta sunt hoc tempore ac tanta cum Inuentoris laude ac mortalium admiratione & plausu obseruata, vel vsum & figuram planè ipsam & formam vel certè horum omnium initia & fundamenta quædam apud historicum, variæ tamen studiosum eruditionis, (est hic Volaterranus) deprehendas. vt mihi quidem Astrologis etiam ac Mathematicis quandam veluti facem, eamque splendidissimam, præferre videatur historia.

VII. Caput. Iurisprudentiam mi ificè & 'indigere & iuuari Historiarum monumentis.

Venio ad Iurisprudentiam: cuius cognitio quantopere historicorum indigeat monumentis Iuris Consulti ipsi (de eruditis loquor quique antiquitates euoluerint) ingenuè doceant. Nos enim vel quia in ijs studijs ferè hospites sumus ac peregrini, vel quia hac in re ipsorum confessio Iurisconsultorum maiorem authoritatem habet ac pondus, ad eorum testificationem libentiùs prouocamus. Quanquam ne te interim omninò ieiunum hîc relinquam, ac quod recepi, minùs præstare videar, ipse quoque pauca quædam subijciam quibus fidem liberem meam.

Porrò

Porrò Accursium, vt historiæ ac politioris litteraturæ planè rudis fuit, hac de causa non rarò in salebris hærere totum; Iasones etiam, Fulgosios, & ne recenseam singulos, Bartholum ipsum sæpè labi ob temporum ac rerum gestarum ignorationem, vix fortasse quisquam inficiari audeat. Itaque Accursius Atheniensium Romanorúmque prudentiam & dignitatem indignum in modum traducit commento illo perridiculo quo Iurisprudentiæ studiosos de ratione docet qua Romani duodecim tabularum leges ab Atheniensibus impetrassent: quod si historicos consuluisset, animaduertisset vtique non Græcum illum sapientem missum Romam ab Atheniensibus: multò minùs stultum in huius congressum colloquiúmque à Romanis submissum: denique qood ipse commemorat factum, anilem fabulam esse totum: maximè verò cum peruetustis illis temporibus haud dum augustissimæ Trinitatis cognitio, præsertim tam obuia & explicata, extaret apud profanas gentes. Quapropter non Dionysius Halicarnasseus, non Diodorus Siculus, non Liuius, non Florus, non Plinius, non Gellius, non L. Fenestella (quisquis sit libri author quem Fenestellæ terimus nomine) tale quidpiam commemorant (etsi rem diligenter commemorant) vnde ridiculo commento illi sit locus: tantum abest vt stultus ille maxillatam sibi dari (sic enim Accursius; cuius dicto quid ineptiùs aut inquinatiùs proferri potuit?) veritus, pugnum clauserit, atque inde, quasi verò sapientissimus haberetur, Romanis leges impetrauerit. Atque eiusdem ordinis, ne dicam eiusdem farinæ sunt quæ de lege Fusia Caninia comminiscitur. cum enim ea lege seruorum manumissionem & libertatem magna ex parte impediri animaduerterit, efficere nitebatur bonus hic author, huiusmodi legem à cane deriuari, proindéque rei consentire nomen. Itaque *Canis* (inquit de legislatore loquens) *seruabat naturam, qui stat in palea: qui nec sibi potest habere paleam, nec alij permittit accipere: sic nec sibi ille poterat tenere seruos quia moriebatur: nec libertatem patiebatur eis dari, vnde meritò Caninia dicitur vt sit conueniens nomen rei*. sic iste. quo cõmento an insulsiùs excogitari quidquam potuerit, haud scio; cum

à Fusio Caninio (Vopisco teste) lex ea fuerit lata. Quod si in abdito erat Vopiscus, Liuius saltem erat in prōptu vnde suspicaretur legem à Furio & Caninio Coss. (nam Furium Camillū & Caniniū simul Cōsules facit Liuius proindéq; non Fusiam Caniniā sed Furiam Caniniā legūt aliqui) inuenisse nomen. quod si non exploratū eruditum certè ac verisimile videri poterat. Sed quid ob ignorantiam antiquitatis nō peccat grauissimus iste Iurisconsultus? ignotum putat quis nam fuerit Iustiniani pater: & tamen Iustinianum à Iustino adoptatum atque ob id Iustinianum appellatum ex historijs intelligere poterat. Flauij prænomen accepisse ait Iustinianum à Flauijs quos deuicisset populis. At quos vnquam Flauios deuicit Iustinianus? vel vbi gentium, vbi locorum degebāt Flauij populi? quid plura? quis nisi omnis eruditionis expers, & antiquitatis ieiunus planè ac rudis, dixerit prænomē à rebus gestis ac deuictis populis accepisse Romanos Imperatores? agnomen peperit quidem multis victoria, vt Africano, Asiatico, Numidico, Macedonico atque alijs nō paucis, prænomen certè nullo modo. Quapropter ante Iustinianum videas. Vespasianum, Domitianum, Valerianū & alios multos Flauij prænomen prætulisse: quos tamen Flauios populos deuicisse suspicetur nemo. Sed illud palmare in Accursio quòd cum non animaduerteret quid inter virum consularem & cōsulem interesset (quod tamen apud historicos tritum est ac planum) non dubitauit Vlpianum corrigere & quasi secum ipse pugnaret reprehēdere, quòd scripsisset consularem cogi posse, consulem non posse. sic etiam cum non intelligat quid apud Vlpianum item valeat Ouasis, nugas de more comminiscitur. & tamen Ouasim siue Oasim esse desertum locum in quem sontes relegarentur, Vlpianus ipse indicat; historici verò in Africa esse ac mirè desertum, litteris produnt. Sed quæso ijs sit modus ne Budæi, Alciati, vno verbo politiore litteratura exculti Iureconsulti illud in nos intorqueant, Sus Mineruam, aut etiam Sutor vltra Crepidā. tantum dicam quæ de Magistratuum ac Iudicum officio, de mero ac mixto Imperio, de vadimonijs, de calatis comitijs, libripende, ære ac libra, manumissionibus, emācipationibus, iure postliminij, & huiusmodi alijs statuuntur, vix fortasse

ac ne vix quidem sinè aliqua historiarum cognitione percipi posse. nam Corneliæ legis, Liciniæ, Falcidiæ, Iuliæ, Caduciariç, Iuliæ Miscellæ, atque alia tum plurimarum quæ ab authore ducunt nomen, cognitione Consulum ac rerum gestarum serie ignorata in obscuro versari nemo non fateatur. vt propterea iurè ac meritò eruditi quique iuris Interpretes historiæ studium commendent.

Sed Iurisconsultis missis ad Medicos diuertat oratio: quos sanè historia non parum iuuari nemo, vt opinor, qui rectè sentiat, dubitarit nam & de Medicinæ origine à Plinio, Strabone, ac bonis historicis docemur. ita vt Galenus ad Herodotum vsque confugiat: & Medicinam ipsam ab historia partim profectam esse, partim locupletatam, ostendi potest. siquidem olim morbis experientia tantùm medicinam faciebant mortales, atque inde quod quisque medicamenti ægrotatione adhibuisset, in commune conferebat; ita vt ægroti per vicos ciuitatis exponerentur, vt qui præterirent, si eodé morbo laborasset vnquam aut alios laborantes deprehendissent, ægrotum de medicina admonerent qua morbum leuassent suum. ex quo sanè fit vt in rebus singulis, iisque consilio & electione administratis, quod est intra historici fines, cohiberentur. Et eodem sanè pertinet quod prisci illi mortales in tabellas, quas pro templis exponerent, cum morbos tum curationem referrent. nam hinc etiam magnus ille Medicorum Princeps Hippocrates tanquam ex priuatis rerum humanarum euentibus atque adeò ex historia (præsertim verò quòd qui ægrotassent, diligéter de morbo & curatione interrogabat) edoctus, in Medicina profecit non mediocriter. Sed & illa quæ de regionum ac locorum situ & temperatione, déque gentium viuendi ratione, de vinis, aquis, cibis & huiusmodi alijs multis scribunt historici (neque enim non hæc quoque opportunè historijs inserunt aliqui) instituto Medicorum non nihil conferre solent. Nam quas de ægrorũ curatione quotidie habent consultationes, quin curationes ipsas, simi'ium vsu regi, ita vt anteacta exempla præsentibus curationibus seruiant, & res gestas in suum vsum conuertãt, nemo est qui nesciat. Denique Medicina quantum experiétiç

VIII. Caput. Medicos quoque aliquid vtilitatis referre ex historiis.

tribuat atque ijs quæ à maioribus veluti per manus consignantur concedat, compertum est. Itaque Galenus in 111. Hippocratis librum de morbis vulgaribus docet historię studium esse Medico necessarium: & in libro de subfiguratione empirica cum alijs de causis historiæ cognitionem requirit in Medico, tum maximè quia cum vnius hominis vita (eius verbis vtar) ad omnium inuentioné sufficere nequeat, longi temporis obseruationes colligit historia vt tanquam ex multis tot sæculorum hominibus vnus aliquis eruditissimus efficiatur. atque hinc etiam permotus pulcherrimis historijs sua sparsit exornauítque monumenta quibus medicinæ esset subsidio. Ac proinde ne Medici quidem Historiæ vsu carent ac bono.

IX. Caput. Picturę atque aliis nonnullis artibus subsidio ité & ornamento esse historiam.

His omnibus addere licet historiam cum Picturæ adiumenta afferre & commoda, tum Statuariæ ac cæteris huiusmodi artibus quæ varia mortalium facta exprimunt & imitantur. Et sanè cum hæ artes historiæ nonnihil famulentur, quin eam vtcunque æmulentur, par est vt inde quoque, perinde ac Poëtæ, hauriant, ac res gestas deriuent, quibus maximè nobilitentur, memorabilia, exprimentes. atque hinc sit vt quemadmodum Pictores cæteríque huiusmodi imitatores factum aliquod coloribus & imitamentis æmulantur, quod historicorum industria nobilitatem animaduerterint, ita Pictura cum inprimis vsum habeat vt quæ ex historicis præclara facta didicimus, nobis reuocet in memoriã. Quod si fortè illud requiras num Agricolturæ, quoniam hæc siue ars siue exercitatio vt est antiquissima ita honesta voluptate plenissima, ac proinde non facilè prætereunda, subsidia ex historia referat vlla, ego sanè affirmauerim ex historia illius tum originem & antiquitatem tum primæuam dignitatem intelligi: progressus etiam agnosci & quæ huic multorum industria & exercitatione accessiones factæ sint dum noua eáque pulcherrima Naturæ miracula Agriculturæ vsu proferuntur quotidie. Vt propterea historia artium omnium tum custos tum præsidium & ornamentum iurè ac meritò habeatur.

Multas

X. Caput. In quo de vtilitate disputatur quam Prudętiæ ac rebus gerędis affert Historia. Antea tamę ostęditur historiā prudętię actionique multò magis quàm contemplationi aut cognitioni seruire, quin prudentiam propriè tanquā finem propositā esse historiæ.

Multas ac magnas (ni fallor) vtilitates recensui quas ex historia publicè priuatimque capiunt mortales, sed tamen (vt verè fatear) minorem earum partem imò longè exiguam recensui, si ad eas vtilitates spectemus & commoda quæ ad res gerendas suppeditare solet historia. Imò verò, si quis accuratiùs æstimet, eæ tantùm vtilitates quæ ad actionem pertinent atque officia vitæ, sunt historię propriæ & studij antiquitatis: hæ rerum gestarum cognitione proponuntur: hæ maximè quæruntur cæteræ quas hactenus commemorauimus, quaéque pleræque omnes ad contemplationem, seu cognitionem referuntur tanquam aduentitiæ sunt & ex mira vbertate ab Actionis campo in alienos redundant. Etsi enim non ijs assentior qui singulas res ad singulos vsus atque vni rei vnitam vtilitatem propositam arbitrantur (quis enim neget Solis vsus & multos esse & varios? quis aquam, quis ignem, quis oculos, quis aures, quis manus multas ac varias vtilitates & commoda plurima afferre inficietur?) illud, tamen non grauatè concesserim, vnum præcipuè fructum expeti, cæteros secundùm illud requiri. Itaque vitæ cautionem seu rerum gerendarum prudentiam in finis loco præfinierim historiæ: hunc primò spectandum & requirendum sentio: cæteras vtilitates ex historia tanquam minores ac minùs proprias deriuandas existimo. & hac de causa narrationem rerum gestarum (quia scilicet actionis sit non contemplationis) historiam definiui: hoc nomine prudentiam illi tanquam scopum proposui: hac cogitatione quicquid de illius vi & natura disputaui ex vitæ cautione & rerum gerendarum prudentia disceptaui ac dijudicaui: quod scilicet sit prudentiæ magistra & procreatrix.

Prudentiam rursus multis rationibus ac viis comparari: sed historicorum studio vel maximè.

Et quanquam rursus prudentia tum moralis seu ciuilis Philosophiæ studio atque præceptis tum diuturna rerum gerendarum experientia, tum peregrinatione ac varia gentium morúmque cognitione, comparari haud abnuo (quam enim diuinitùs accipimus prudentiam, quippe alterius generis, hoc est diuini, prætereo hoc tempore, atque humanam

requiro

requiro tantùm') attamen historiæ præsidijs vel maximè acquiritur & comparatur. Ac peregrinatio sentit & quidem præsentibus hominũ moribus & institutis vtcunque cognoscendis, sed cum historia conferri nequit quæ nos omnium ætatum mores docet ac facta: illa, vix aliquam terrarum partem (quotus enim quisque est cui omnes terræ plagas obire, omnia maria traijcere, omnes insulas adire, concessum sit?) hæc omnes non modò terras, sed maria atque insulas, inprimis verò qui mortales in illis versentur, quid rei gerãt ac moliantur, ante oculos ponit: ea denique cum pauca tum per transennam & obscurè suppeditat monuméta, hæc plurima tãquam in aperto theatro & clarissima luce commemorat. vt omittam peregrinationem sæpè plus incommodi habere ac periculi quàm vtilitatis & compendij. ita vt non defuerint qui peregrinatione mores etiam corrumpi & peregrinitate quadam veluti infuscari affirment. Quin etiam ex viris sapientibus ac patriæ studiosis non defuerunt qui inde glorientur quod à patria peregrinati essent nunquam. Denique dum Aristoteles ad ferendarum legum scientiam vtiles esse ait τῆς γῆς περίοδυς *terræ peregrinationes*, ecce tibi viri quidã non indocti non terrarum peruagationes intelligunt & peregrinationes sed huiusce nominis commentarios in quibus & positura Vrbium locorúmque descriptæ essent (id quod Eudoxus fecerat inter cæteros Atheneo teste) & incolarum leges explicarentur ac mores: quasi verò non tam iuberet populorum mores, instituta, leges peregrinando perdisci, quàm ex historicorum monumentis quæ res gestas & mores cum Topographia coniungerent, hauriri.

Iam verò rerum gestarum experientia quid, obsecro, in tanta humanarum rerũ varietate & obscuritate, in tanta sensuum ipsorum tarditate, iuuare aliquem possit ad prudentiã? præsertim verò cum longè angustum sit humanæ vitę curriculum, ac citiùs occumbat homo quàm vllam prudentiæ partem parare valeat. Ex quo etiam fit vt quam ciuilis doctrinæ studio prudentiam nitor adipisci, hæc me terra marique fugiat, ac Penelopis instar deludat. quanquam enim reuera ea est prudentia vt ea duce illa dignoscantur quæ ad benè beatéque

téque viuendum conducunt, atque ad hanc planè ciuilis sapientiæ studio aspiremus, attamen cum in ijs versetur quæ aliter se habere possunt & opinione coniecturísque cõtinentur, excellens huiusmodi habitus nisi per quam diuturnus plurimarúmque rerum accedat vsus & experientia, non gignitur aut comparatur. vt propterea historiarum vsus vnde omnium ætatum ac gẽtium mores & facta perdiscimus, multò aptior sit ad prudentiam: quin, si cum vsu experientiáque coniungatur, optimus. Verissimè enim dici potest diuturnã humanarum rerum seriem esse Comici instar spectaculi aut Tragici; quod tamen non ternis aut quaternis horis absoluatur, sed in multa secula producatur. huic enim propter longitudinem nemo ab initio ad finem vsque interesse possit: quin ob vitæ breuitatem vix exiguam alicuius scenæ partem degustet. ita fit vt nec peregrinatio, nec experientia, nec ciuilis prudentiæ studium nisi exiguam & antiquissimam huiusce spectaculi partem tibi commonstret, sed ieiunum planè relinquat. Igitur historiarum accedat tractatio vnde tibi totius æui spectaculum explicetur ac pompa: sola enim historiæ lectione: & accurato rerum gestarũ studio & cognitione pompam spectes integram & spectaculo adsis vniuerso. Ita demum Comœdiam aut Tragœdiam sedens sinè perturbatione, sinè periculo, alienóque sumptu & impensa, magna etiam cum voluptate, spectes integram ac prudentiæ fructus vberrimos referas. *Itaque illud* (inquit Liuius) *est præcipuè in hac cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* & Diodorus (siue quisquis sit author) *Nihil, vtilius* (inquit) *iucundiusque cogitari potest, quàm in humanæ vitæ theatro quod historia partibus omnibus mirè instructum habet, sedentem periculis aliorum, sinè suo periculo cautũ sapientemque fieri: exempla capere omnigena quæ ad vsum tuũ in qualibet re traducas. Cumque maximorum hominum de summis rebus maximis consilijs interfueris, id quod cupidissimè homines auemus, eorundem etiam euentibus intereße, & quod per angustiam vitæ hominũ impoßibile sit alioquin, secula tota memoriæ*

eam permulta ex aureo Ciceronis fonte adhuc hauriri posse quæ tali tantóque dolori mitigando mirificè valeant. Idem affirmauerim si tibi seruitus, si carcer, si exilium, si inimicitiæ, si morbus, si cœcitas, atque alia id genus infortunia squalorem afferant & dolorem. Nam historiæ præsto sint quæ tibi multorum tolerantiam, moderationem, constantiam suggerant qui in huiusmodi ærumnas incidête. Quod si ira æstuet animus atque eius impetu percellatur, Tarentinum Architam habes in historijs, Platonem, Speusippum, Pittacum, Socratem, atque alios sexcentos quorum egregia exempla & facta in ira compescenda æmuleris. certè Plutarchus in eo libro quem scripsit de ira cohibenda tam ingentem & eximiam ex Græcis Romanisque historicis exemplorum copiam deriuauit, vt nihil pulchrius nihil vberius nihil iucundius expetere possis. Quod si etiam te forma, diuitiæ, nobilitas, florida ætas, corporis fortitudo, si ingenium amicorúmque copia, dominatus, victoriæ, triumphi, fœlicitas denique ipsa efferant atque arrogantiæ & superbiæ periculis iam iam obijciant, eædem tibi adsint historiæ quæ suis illecexemplis cohortentur & admoneant vt insolentiam deuites, moderationem, constantiam, æquitatem animi amplectaris. Quamobrem varia tibi Author optimus & historiarum scientissimus exponat exempla quibus vtriusque fortunæ remedia in promptu habeas ne aut aduersis rebus succumbas aut efferaris secundis. Quod si inter hæc vitæ incommoda atque pericula bonam vitæ partem traduxeris, iámque ad senectutem properes quæ tibi ægritudinis ac molestiæ plenissima videri soleat, Pythagoram, Isocratem, Platonem, Ennium, Massinissam, Q. Maximum, Fabricium, Catonem, alios sexcentos in historijs offendas, qui non modò non grauatè senectutem tulerint, verùm etiam hanc florenti ætati anteposuerint. quocirca vnus M. Tullius ex Græcis Romanísque monumentis exempla deprompsit tam multa, tam varia, tam luculenta quibus senectutis abstergeret notas, vt tantum non eam auidissimè expetas et complectaris. Denique, vt multa paucis complectar, si regia dignitate præstas quæ

innu-

innumeris obnoxia est periculis, sic Rempub. tẽperas in qua discordiæ, seditiones, tumultus excitantur passim; si imperas exercitui ac bellum administras in quo infiniti labores, sexcenta pericula, calamitosi quoque euentus te hærentem ac sollicitum habeant, si rei domesticæ familiaéque cura distineris, in qua te diurnæ nocturnaéque angant sollicitudines, Thucydides, Xenophontes, Polybij, Liuij, Taciti, Plutarchi, vniuersus historicorũ tibi chorus opem ferat ac strenuè opituletur. In his enim illustres Reges ac Duces tibi occurrant a quibus discas principis ac summi viri esse fortia agere & pati: subiectis nõ grauatè parere, superbos frangere ac debellare: pectus ad vtramque fortunam præparare: temperantia, æquitate, industria, labore, vigilantia, omnibus denique virtutis exemplis Ciuibus prælucere, ac summatim omnia ad honestam populorum vtilitatem referre vt inde benè beatéque Regnum ac Respublica quamdiutissimè degat. In his item patresfamilias boni ac fruges præsto sint, ex quibus intelligas moderationem ac vigilantiam parentibus magnum esse præsidium: non bibacem edacémue esse aut emacem, magnum esse vectigal: amplum liberis patrimonium esse honestam educationem: tutissimum thesaurum esse virtutem: denique rei familiaris tuendæ atque vniuersę familiæ gubernandæ rationem in coniugum pietate, concordia, frugalitate, diligentia positam esse vel maximè: ac labores & molestias tam demum superari aut minui, interdum etiam dulces effici, cum celso animo illis obuiam ieris, ac delicias ocium, domi tuæ esse non patiaris.

Hoc igitur consilio iam in arenam descendito: hoc in rerum gestarum monumenta animum cogitationemque defigito: hoc labores omnes atque molestias strenuè superato. Si tamen molestia & labor vllus in tam nobili & frugifero curriculo vsquam occurrat: ac non potius incredibilem inde voluptatem haurias. Neque enim aut scenæ & theatri pompa aut disetti viri oratio & eloquentia parem tibi afferat iucunditatem: non rerum naturalium aspectus ac studium, aut syderum pulchritudo cœlestiúmque

Ostẽditur historiam habere sũmã quoque voluptatem cum vtilitate coniunctam: & peroratur.

con-

corporum contemplatio, præsertim verò quia stellarum choreas ac cœli lumina spectare quidem possis, at ea vel effingere & fabricare, vel agitare & pro arbitratu impellere, ne dicam propè aspicere aut dignoscere, nullo modo possis. Contra verò clarissimorum virorum dicta & facta imitari, virtutes exprimere, gloriam æmulari, exempla in tuum omniúmque mortalium vsum conuertere, nobiles etiam ac pulcherrimas rerum gerendarum Ideas formare ac fingere ac noua posteritati exempla relinquere & possis & debeas. Quæ cum ita sint, nos quoniam tibi Historiæ tum vim & naturam, tum leges atque præcepta, ac proinde eam cognoscendi, dijudicandi, scribendi, rationem ostendimus, tum Authores quo ordine legendi, qua ratione coniungendi sint commonstrauimus, ac scopum inprimis in quem intendas vsúmque indicauimus, iam vel munire perfuncti, vel defessi, tibi lampada tradimus ac facem; tuam industriam ac virtutem in Historiæ Theatro spectaturi.

FINIS.

INDEX RERVM, AC VERBORVM COPIOSISSIMVS:

In quo p. significat paginæ principium, m. medium, f. finem.

A

Accursius ob historiæ ignoratione labitur sæpè. 245
Adiumenta rerum gestarum exprimenda. 104
Agriculturæ conducit historia & cur. 248. *f.*
Alexander Macedo regnum sibi pa rauit potiùs quàm regnarit 153. *f. de hærede ne cogitare quidem potuit* 253. *f.*
Aeneis Augusti & Pop. Rom. historia & cur 230. *f.*
Ancus Martius 162 *m.*
Animi perturbationibus sedandis valet historia 254. *m.*
Annales 24. *m.* 25. *m.* 27. *p.* 10. *f.* 46. *m.* 47. *m.* 58. *f. sine præceptis* 19. *m. ad historiam* 71. *p.* 73. *p. quomodo, & quales* 92. *m.* 113. *p. respondent ossibus in animante* 113. *p.*
Apologus 8. *m.*
Apparatus percensendi 104. *f.*
Appiani locus obscurissimus explicatur 175. *eius historia qualis* 177.
Apophthegmata num ad historiam 72. *p.*
Arcadũ antiquitas ridenda 196. *m.*
Auguria Romanorum 192. *f.*
Argumentum operis 2. 3
Aristotiles de metro, historia, Herodoto

rodoto 10. m. 45. f. de Callistene & veritate 76. m. de historia vnius actionis 92. f. explicatur dũ vnum tempus tribuit historiæ 87 m. 92. eius liber de Mũdo ad Alexãdrum historiæ perutilis & cur 146. m. Oratori historiam facit necessariam 224. f. 225. f. præcipuè in deliberatiuo genere 225. f. 226 de historia & peregrinatione 227. p. Quid ei significet politia 47. m.

Ars num cõtineatur historia a 16 m. ad 19. f. 114. vnde parta 19. p. artis nomine medicinam, poeticam, Rhetoricam quoquo modo contineri 114. m.

Artifex damnandus in malo vsu, non ars 30. m.

Asinius Pollio cur Patauinitatem obiecerit Liuio 130. m. infensus Patauinis 130. f.

Attalus in orbitate, Populo Rom. transmisit hæreditatem 253. m.

Attica Terra qui ortos faciant homines 196. p.

Atticus historiã quã scripserit 25. m

Augustus de Liuio 131. m. calamitosus cur 220 f 221. qui de illo scripserint 183.

Authores Sacræ historiæ 150. Romanæ a 158. ad 194. Græcæ a 194. ad 212 barbaræ a 212. ad 216.

Authoris consilium & œconomia in hac scriptione 1. p. 2. m. 3. p. 19. f. 73. m. 74 m. 75. p. 108. f. 115. p. 144 p. 190. 194. m. 212. 215. f. 216. disputatio de Baronij annalibus 150. f. de Tyberis eluuione 242. f. libri in Timæum 195 f.

Axiomata in legibus historiæ 74. f.

B

Barbara historia & eius Authores a 212. m. ad 216.

Baronij Card. annales quales 91. f. copiosi 150. m. f. quos habent scopulos. 151. 192. p.

Berosus de Gygantibus 196. m. qualis 214,

Breuitas locutionis historicæ qualis 43. m. 111. m.

C

Calamitates quædam cur ad historiam 63. f. in calamitatibus vtilissima historia. 254 p.

Caligula de Liuio 129. p.

Carmen num adhibendum historiæ 9. f. 45. m. qui adhibuerint 10. p. cur 45. m. f.

Carthaginenses, cum Romanis comparati. 153. f. 154.

Causæ num in historia an necessariæ 7. m. 33. m. breuiter attingendæ 34. m. 86. m.

Cautiones in historia legenda 155. 157. m. a 162. ad 167.

Chaldæorum monarchia 212 f 213, eius historici 214.

Chorographia num pars historiæ 19. p. 50.

p.50.m.70.f.quomodo ad histo-ricum 84.p.
Chronica 11.m.48.m
Chronologi pro historia 148. p. f.
Chronologia num ad historiam & quomodo 11.48.49.83.m. eius ethymon 11. m.48.m.instrumentum historiæ 50. p. quàm vtile 147.m. non ad historiam 70. f. a Cicerone commendati 116. a Plutarcho 117.m.
Cæsar 32.m. ferè expers concionum 34.f. eius commentarij 47. f. 115 f. 116.an perfecti 116. f. perfecti & probandi in suo genere 117.m. pressi et angusti stylo 116.p. 117.f
Cæsaris facta qui scripserint. 182.
Cicero de stylo historico 37.m. Oratori tribuit historiam 9.m.cur. 44 m.84.m. 225. 227.m. de partibus historiæ 13.f. 51.m. in ijs nō fauet Eustathio 51.m. 52.p. de vtilitate historiæ 63.præcepta dedit de historia 19.m. de fine historiæ 21. m. de amplificanda historia 107. m. documenta historica. 108.f.de Cæsaris cōmētarijs 116. de artificio occultando exēplo agit pilæ 118. m. Liuio quàm præstet & quàm historiæ conducat 139 cum Sallustio confertur 141. f. quas virtutes postulet in Imperatore 151.m. historiam in Oratore requirit & cur. 224. f. 225. de doctrinis Romanorum 192.f. Græci historici rudes ante Herodotū. 201. qualis Herodotus 202. f. Philistus 205. m.
Ciceroni historia quid 1.m.2.m.23. f.num rerum præsentium 3. et 23 cur nuncia vetustatis 3 testis temporum, vita memoriæ, lux veritatis 4.p. 25 f. res vetustæ historiam magis requirunt 24.f.25.p. de Thucydide 25. f. 111.f.204. 121. mala etiam narranda 30. f. causæ explicandæ 34.m.quo consilio præceperit ne quid falsi audeat dicere historicus 75. f. laus Ciceronis qualis quāta, et a Sallustio prætermißa 121. f. historiæ infamiā timeri iubet 220. m. de Patauinis 130.m. Grammaticos tantisper. 2. negligit interdum & cur 224. p. puerum facit ignarū antiquitatis 227 m. cur paradigmaticus dictus 227. f. 228 exemplis historiarum plenus 228.229
Cineæ dictum de Roma & Senatoribus 152 m.
Ciuilis cognitio quatenus in historico requiratur 80. f. 81.
Claudius Ptolomæus ex historijs hau sit vnde paupertati obuiā iret 253
Cognitio rerum gestarum num sit historia 57. m. 58. m.
Cometes cur ad historiā. 64.p. 242.m
Commentarij an ad historiam 10. m. 46. f. 71. quales 47. m.
Commodi & aliorum Imperatorum facta ad Constantinum vsque qui scripserint a 186. ad 189.
Comœdia historiam imitatur 230.p.
Conciones num interponendæ 7.f.34 m. poeticū redolēt 8. f. tripartiti variantur 34.35. rectæ suspicio-

sissimæ 36. m. reprehenduntur omnes a 36. m. ad 42.
Coniecturæ non spernendæ in historia. 27. f. 93. f. vnde ducendæ 93. f. 94. minimùm coniecturis vtendum 86. m.
Consilium Authoris vide Authoris.
Constantini facta qui scripserint 189.
Constitutio historica cum animante comparatur 113.
Consules Romani a 167. ad 182.
Cosmographia non historiæ forma 70. f.
Curtius historicus nobilis & cur 127.

D

DAres Phrygius qualis 200. f.
Decreta num ad historiam 15. 59. f.
Definitio historiæ 60. 62. p. amplior 65. m. 66. f. 67. p.
Deucalionis Eluuio qualis & quomodo cum Noetica 195. m. 198. p. antiquitas 199. f.
Diaria num ad historiam 10. m. 45. m. 71. p.
Dicta num ad historiam 15. 59. f. 71. f.
Dictys Cretensis qualis 200. f.
Digressio qualis vitanda 106. p. 107.
Diluuium generale 195. m.
Dio ex Merula, qui tamen reprehenditur, qualis 185. f.
Diodorus Siculus 32. f. 63. p. 203. m. de fine historiæ 21. f. de Oeconomia historiæ 99. f. de vtilitate 251. f. de Græcorum fabulis 200. p. qualis 203. f. 204.
Dionysius Cosmographus. 11. m. 48.
Dionysius Halicarnasseus cõmotus Thucydidis gloria 18. p. hunc laudat quòd non mentiatur 76. p. exagitatur de historia deligenda 86. p. laudatur in electione 86. p. de Herodoto & Thucydide 88. m. 205. Thucydidem vigillat 90. f. 91. m. 111. p. confertur cum Liuio & laudatur 157. m. 158. 159. 161. f. 171. m. mutilus 170. f. quanta hinc iactura, & de eadem resarcienda 171.
Dispositio qualis 105. f.
Diuisio historiæ varia 144. 145. quæ commoda, & quo nomine 149. f.
Doctrinæ mutuò se iuuant & quæ 50. m. qualis & quando Romanis 192. m.
Duodecim tabulæ 170. p.

E

ELocutio historica & eius conditiones a 42. ad 45. 84. m. a 109. ad 113. vt scilicet emendata 109. m. perspicua 110. m. 113. m. propria 110. m. breuis & quatenus 111. æquabilis 112. f. qui Authores imitandi 109. f. num Græcè aut Hebraicè

braicè scribendum 110. quomodo varianda 110. f. respondet carni animantis 113.m.
Eloquentia num adhibenda historiæ 8.f. 42.m. 98.99.p. historia iuuatur mirificè 224 f. ad 230.
Eluuiones cur ad historiam. 63. f. 242.m.
Ephemerides num ad historiam. 10. f. 46. m.
Ethnici quem fecerunt historiæ finem. 22.m.
Eusebius qualis vbi de Constantino. 189.f. 191.f.
Eustathius de historia & eius formis 11. 48. 51. de chronicis 48. f. de Topographia 12. f. de Corographia & Geographia 13. p. Cicero concinit Eustathio 13. f. hic reprehenditur 51. p. de pragmatico 12. f. 51. p.
Exemplorum uis 225. 226.
Exustiones cur ad historiam 63. f.

F

Fama num sequenda in historia 27. 76. p.
Finis artium omnium & doctrinarum 64 f. discrimen ab historia 65.
Finis historiæ, 20. p. 85. m. qualis Herodoto & alijs 21.
Florus qualis 159 m.
Forma historiæ 71.
Fragmenta veterum Rom. Historicorum & qui 191.m.
Futura num ad historiam a 67. m. ad 70.m. qui prænuncient 68.m.

G

Galenus de historia 4. f. 5. p. 26.m. 14 p. 69 f. ad Herodotum prouocat 247. p. historiam facit Medico necessariam. 248. p.
Gellio historia est rerum præsentium 4. num præteritarum 23. de priuatis rebus 5. f. Chronica quæ 48. m.
Genealogiæ an ad Historiam 10. m. 46. f. 71. p. 72. m. historiæ forma est, & inde auspicandum & quomodo 148. m.
Genebrardus 150. f. 195. m.
Gentium propagatio & successiones. 148. f. 149. ex quibus authoribus discendæ. 149.
Geographia num historiæ forma. 13. p. 50. m. 70. f. Vtilis historiæ. 146. m. quæ inde haurienda 146. f. 147.
Georgius Gemistus qualis. 206.
Gradus quibus ad historiæ cognitionem ascenditur 146. 147.
Gradus varij historicæ materiæ 27. f. monumentorum, & vnde hauriendum 58. f. 59. gradus rerum 93. m.
Grammatica eget historia 224.
Græca historia qualis & cum Romana confertur 153. Græcæ historiæ legendæ ratio 194. Authores & ordo ꝑ tota Græca historia a 198 f. ad 212. intercisa Græcorum historia & vbi 199. 201. 207. m. 210.

Græci historici quales ante Herodotum ac summatim antiquiores 199 200. p. 201. f.

Græcus author de Liuio 127 f. Græci historici quales heroicis temporibus 101. f.

Græcorum origo & antiquitas a 194 ad 199 num Græcia culta ante generale diluuium a 196. m. ad 198. f. vera origo 198. p. ij per ambitionem ab Hebræis multa ad suos transtulere 195. f.

Gygantes & eorum vrbs & dominatus. 196. f.

H

Halicarnaßeus, vide Dionysius Halicarnasseus.

Herodotus qualis 9. m. 10. m. 25. p. 202. 203.

Hippocrates ex historia quantum profecit 247. m.

Historia quid 1. m. 2. olim erat annalium confectio 17. f. 25. m. aliquando genus est aliquando species & forma 47. p. pro commentarijs & annalibus 47. m num sit cognitio rerum gestarum 57 m. 58. aurium pictura 52. f. pictura contra historia oculorum 52. f. inter tubas orta historia 82. f. eius constitutio cum animante comparatur 113. propositione respondet philosophiæ & quomodo 65. m. 67. p. philosophica historia. quæ. 66. p. in singularibus vera historia. 66. m. cur latè & minus propriè vsurpatum fuerit historiæ nomen 66. f. num infinitum persequatur dum in rebus singularibus versatur 114. f. cum comœdia sed longiore comparatur 247. m prudentiæ mater viuendi ars 252. p. benefica in humanum genus & fax pulcherrima 252. m. eius commoda aceruatim attinguntur 252. m. num Græcè aut Hebraicè scribenda 110.

Historiæ Regibus, & fortunatis, popularibus & calamitosis est vsui 253. p. pauperi 253. p. in orbitate solatium 253. m. luctuosis item 253. f. perturbationibus omnibus cuicunque & in qualibet ferè ætate perutilis 254. senectutis solatium 254. f. Reip. gubernandę seditionibus sedandis seruit 237. p. 255. frugalitati perutilis & cur 255. m. eius iucunditas cum scenæ spectaculorumque iucunditate, cœli ipsius pulchritudine comparatur, Astrologiæ quoque, & Physiologiæ anteponitur 256.

Historia num sit rerum præsentium an præteritarum tantùm 3. & fusè 23. num priuatarum 5. m. & 28. num turpium & improbarum 3. p 29. a 218. ad 222. num insectari debeat vitia probare virtutes 6. m. 31. m. 87. p. num causas explicare 7. m. & 33. 86. m. num conciones interponere 7. f. 34. m.

num

num eloquentiam colere 8. f. 42. ad 45. quæ partes ac formæ historiæ 10. m. 66. 47. num Topographia, Geographia, Chorographia sit eius pars 13. 14. 50. m. tabulæ, signa, icones & huiusmodi alia num sint historię formę 14. 52. 54. 55. 58. p. num dictorum, & opinionum 15. 59. f. num Mundi & eius partium ac rerum naturalium 13. & a 60. f. ad 67. quomodo res naturales ad historiam reuocentur 64. f. Eluuiones & aliæ calamitates quædam cur ad historiam 63. 64. an sit ars a 16. m. ad 19. f. eius primordia artem non redolent 17. p. 18. esse artem 18. m. 114. num ex rebus gerendis seu futuris constare possit a 67. m ad 70. m. vnius sit temporis, & quomodo 87. m. non vndecunque incipiat 87. f. certis regionibus, personis, actionibus concludatur 88. f. tempus cum rebus quomodo nectendum & è contrario ab 88. f. vsque 93.

Historiæ laudatores 222. f.

Historiæ vtilitates & laudes 1. m. & 2. 20. p 63. p. 156. f. & toto libro 4. Theoremata 2. f. Ethymon 4. m. 26. p. formæ 10. f. 45. m. 46. antiquitas 14. f. 62. m. definitio an nouanda. 60. 63. 66. f. facit ex pueris senes 64. m. definitio latius patens quæ 65. m. 67. p. præcepta quando 18. p. historiæ lumina duo Chronologia, & Cosmographia 84. m. historiæ lector qualis requiratur. 157. p.

Historiæ vtilis vniuersim 222. f. 223. p. sigillatim latinitati 223 m. Eloquentiæ a 224. f. ad 230. poesi a 230. ad 240. Theologiæ 239. Philosophiæ a 240. ad 243. Mathematicis 243. m Iuris prudentiæ a 244. ad 247. Medicinæ 247. Picturæ, Sculpturæ, Agriculturę & alijs artibus multis 248. Prudentiæ inprimis ac rebus gerendis a 249. ad 255. iucunditatem habet summam cum vtilitate coniunctam 255. f. cur iucunda ex Cic. 230. m

Historiæ vtilitas oppugnatur 217. m. 218. defenditur a 218. m. ad 222. ignominię et pœnæ timore im probos exagitat historia 220. m.

Historiæ finis 20. eius finis qualis Herodoto & alijs 21. germanus finis 22. f. 23. p. historiæ distributio 70. m. partes ac formæ 71. p. 72. p. 73. 249.

Historiæ legēdæ ratio a 144. ad 194 cautio a 163. m. ad 167. et a 167 ad 169. m. diuisiones variæ 144. m. 145. formæ veræ 148. m. 149 f. quæ sub sacra historia contineātur 149. sacræ partitio per tempus 150. m. sacra historia a Mundo condito ad Christi aduentū vnde petenda 150. m. a Christi ad-

uentu vnde 150. f. de profana a 151. m. ad 216. Romanæ laus a 151. ad 155. eiusdē Romanæ historiæ ordo & authores a 155 ad 194. eiusdem præsidia 255. 256.
Humana vita cum comico spectaculo sed longiori comparatur 247. m.
Humanæ vitæ periculis cōsulit historia, & quomodo 221. m.

I

IApetus quorum author 197. m. Iauan Ionum, & Græcorum author 198. p.
Icones num ad historiam 14. 52. 56. m. 57. p.
Imago dictionis poeticæ, oratoriæ, historicæ 43. f.
Imitatrices artes egent historia & cur 248. m.
Imperatorum malorum exitus malus 220. m.
Imperatorum facta qui scripserint & quo ordine regenda 183. ad 193.
Imperatorum ordo qualis a Commodo ad Constantinum & qui 188. f.
Infamiæ metus vtilis 220. p.
Infinitum num in historia 114. f.
Iornandus 190. f.
Iosephus qualis 208.
Isidorus. 191. p. 195. p.
Italiæ origo 197. Italorum parentes incerti 198. m. benedictione donati 198. m.
Itineraria num ad historiam 10. m. 46. m. 49. m. 70. f. instrumentum historiæ 50. p.
Iucunditas ex historia & cur 2. p. num in finis loco 86. m.
Iurisprudentiæ necessaria historia a 244. f. ad 247.
Iustinus historicus qualis 142. 209.

L

LAertius de dictis & operibus 15. m.
Lapides num ad historiæ formas 14. m. 52. m. 56. m. ad recordationem 56. f. 57. p.
Latinæ linguæ necessitas ad historiam 146. p.
Latinitas iuuatur historia 223. 224 magis ab historico exigitur quàm a Poeta & Oratore & cur 223. f.
Latinitatis authores. 223. f.
Laudatio quatenus attingenda in historia 6. m. 31. m. 87. p.
Laus historiæ 1. m. & deinceps fusè, & 222.
Laus Romanæ historiæ a 151. ad 155.
Leges historiæ a 74. ad 114. geminæ 114. f. tripartitæ 75. p. nimirum ne quid falsi dicere audeat 75. m.

ne quid

ne quid veri dicere non audeat 76.m ne qua sit gratiæ vel simultatis suspicio 78.m. ne ingenij, & ciuilis cognitionis sit expers historicus 81. quibus doctrinis excolendus 83.m. vt ea sit vnius temporis 87.m. vt certos rerum gradus spectet 99.f. causas et consilia interponat, & quatenus 86.m. Laudem etiam & vituperationem 87 Topographiam apposite tueatur. 99. personæ describendæ quando. 101. adiumenta rerum gestarum exprimenda 104.p. modus etiam 104.m. apparatus 104. f alia multa 105. Ordo seruandus et dispositio 105. f. digressio vitanda, & quæ 106. de elocutione 109. m. de proœmio 113. f. ad artem reuocari historiam. 114.

Lenæus in Sallustium 121. p.

Liberales artes exarescunt sine historia 239 p.

Lipsius reprehensus. 132.

Literæ quando inuentæ 14. f.

Liuius 7.m conciones adamauit 8.m 34 m. suspiciosus ob conciones 36. m. 37. m. 38. 39. reprehenditur a 37. ad 41. f. æmulator præposterus Thucydidis & Sallustij 38.m. de fine historiæ 21. f. de Annibale 97.m. rem turpem honeste commemorat 219. historiæ vtilitatem affert 251. f.

Liuius qualis a 127. ad 140. pro Liuio 127. m. contra 128.m. exagitatur quòd negligens ac Dionysio longè inferior 128. f. fides in eo suspiciosa 199.m. & cur in concionibus nimius, verbosus. 199.m. monstro similis eius historia 129.f. de eius elocutione & stylo a 129. f. ad 142. Patauinitas cur illi obiecta a 130. p ad 133. eius stylus & elocutio exagitatur a 133. f poeticus 134. 138 asper sæpè & incõditus 134. 135. 139. Thucydidem & Polybiũ carpit 135. p. posthabẽdus Cæsari, Sallustio, Curtio 135 m. turgidus 136. cũ Cicerone non conferendus. 139. mutilus 157. m. cũ Dionysio comparatur 157. m. 160. m. 161. f. 172. m.

Locutio historica qualis a 42. m. ad 45.

Lucceius 25. de studio veritatis 99. m.

Lucianus de Chronicis 48. m. præcepta dat 18. m. de fine historiæ 25. f. quàm colenda sit veritas 79. de iucunditate & vtilitate historiæ 86. m. de laude & vituperatione 87. de Topographia 101.

M

MAffei historia qualis 100. p. 102. m. 111. p.

Mathematicæ non inutilis historia 243. m. 244.

Memorabilia num ad historiam 10. m 46.

Merula reprehensus de Dione. 185. f.

Mess-

Meßala Coruinus qualis 184. p.
Medicina iuuatur multum historia 247. ab historia partim profecta & quomodo 247.
Metrum num conueniat historiæ 10. m. 45. m.
Monarchiæ 212. f. 213.
Mundi & eius partium num sit historia 15. & a 60. ad 67. quomodo ad historiam 64. f.

N

NArratio historiæ necessaria a 50. ad 59.
Naturæ opera num ad historiam 13. m. 15. & a 60. ad 67. quomodo reuocentur 64. f.
Neruæ & aliorum Imperatorum facta vsque ad Commodum qui scripserint 18. 5. f. 18. 6.

O

OBliqua concio 34. f. 35.
Obscœna, & impia quomodo narranda 30. m.
Oeconomia historica ab 88. f. ad 93.
Olympici præcones 32. m.
Onuphrius 193. p.
Opificum opera num ad historiam. 5. 29.
Opiniones num ad historiam 15. 59. f. 71. f.
Orbitatem qui tulerint moderatè f. 253. f.
Oratori num scribenda historia 33. p. quàm vtilis a 224. ad 230.
Oratoriæ dictionis imago 43. f.
Ordo legendæ historiæ a 144. ad 194 huius ordinis vtilitas 144. m.
Ordo 2. m. 75. p. 88. p.
Ordo seruandus 105. f. respondet neruis in animante. 113. m.
Origines num ad historiam 10. f. 46. f. 71. p.
Ouidius studiosus historiæ 238. f. de Arcadum antiquitate 196. m.

P

PAtauini quales erga Rom. Remp. 130. m. Colonia Romanorum 131. m. donati ciuitate Romana 131. f. olim quales 133. m.
Patauinitas cur obiecta Liuio 130.
Paterculus qualis 159. m. 162. p 209. m.
Patriæ oppugnatores ferè calamitosi 220. f. 221.
Paupertatem qui tulerint moderatè 253. p.
Pausanias 198. f.
Peregrinatio qualis ad prudentiam 227. p. 246. 249 f. 250. p.
Pericles 36. f.
Persarum Monarchia & eius historici 214. f. 215.
Personę num introducendæ concionibus 7. f. 34. m. quando describendæ 101. m.
Pespicuitas respondet colori in homine 113. m.
Petrarcha ex historijs hausit quæ de remedijs vtriusq; fortunę 254. m

Phili-

Philistus qualis 204. f. 205. m.
Philosophia quomodo respondeat historiæ & cui 65. m.
Philosophiæ vtilis historia 240. f.
Philosophus causas explorat & quas 7. m. 33. f.
Pictura num historiæ forma, vide Tabulæ Taces poesis & Taces historia 52. m. quomodo 55. p. oculorum poesis 52. f. oculorum historia 52. f. imago tantùm historiæ 54. 57. p. 58. p. illi conducit historia 248. m.
Plato de poesi 10. p. 45. p. de dictis 59. de clamitatibus & de Atticæ antiquitate 195. f.
Plinius de fine historiæ 21. f.
Plutarcus de historia 4. f. 26. m. 5. f. 28 f de Græca historia 199. f. de Chronicis 48. p. de decretis philosophorum 15. p. in Vitis strictim & cur 71. m. ex historia iræ cohibendæ præcepta deriuat 254 m. de compescendo luctu ex historijs 253. f. infensus Herodoto & cur 202. f.
Poesis 10. p. vnius actionis 87 m. historiæ imitamentum & cur 230. p. formæ poesis cum historia & humanis actionibus conferuntur singulæ 230 m. poesis arescit sine historia 230. m.
Poesi necessaria est historia a 230. ad 239.
Poeta 10. p.
Poetæ pulsi & cur 6 m. 31. p. de nauigationis origine & de Iapeto 197. f.
Poetica ostentatio vitanda 102.
Poeticæ locutionis imago 43. f.
Polybius 32. f. de concionibus 34. f. de fine historiæ 21. f. in mentientes sponte 75. f. exagitatus de digressionibus 106. p
Pontanus 18. m. 87. f. exagitatur 96.
Præcepta historiæ quando 19. m. quę a 74. ad 114.
Prouerbia an ad historiam 72. p.
Priuatarum rerum cognitio vtilis 5. m. 28. 29. de ijs historia 5. f. & quæ 29. m.
Proemium quale 113. f.
Prophetia num ad historiam a 67. m ad 70. m.
Præcones Olympici 32. m.
Prosopopæia vide conciones.
Prudens qui 1. f.
Prudentia ex historia 1. f. 20. f. 21. 28. 33. 59. f. 68. 249.
Prudentia quibus paretur 249. f.
Puer censetur ignarus antiquitatis & cur 127. m.
Punici belli tempus quàm anceps 174. f.

Q

QVintilianus de Sallustio 123. p de Liuio 127. 133. 134. eius a[illegible]ctū de historia explicatur 138. f

R

REcta concio 34. f. & 35. Res leues non facilè ad historiā 25. p quæ aptæ. 85. m.

85.m. pulchræ quatenus 86.
Romanæ historiæ laus a 151. ad 155 de eius ordine & authoribus a 155. ad 194. quibus præsidijs eget 155. 156. eius Authores a 157. ad 193. aceruatim multi cõmemorantur a 190 f. ad 193.
Romanę Reip. laus 152. eius Senatores quales ex Cinea & Alexãdri exploratoribus 152. f. eius diuturnitas 153. p. 154. m. Terrarum domina 154.
Romulus a 159. ad 161. 164. 221.

S

SAcræ historiæ partes 149 f. eius bimembris partitio per tẽpus 150. m. prior a Mũdo condito ad Christi aduentum & a quibus authoribus petẽda 150. m. posterior a Christi aduentu vnde 150. f.
Sallustius 3. m. conciones adamauit 8 m. 34 m. suspiciosus 36. f reprehẽditur 36. f. 41. f. de Iugurta 98. p breuiloquentiæ notatus 111. m. de eo fusè rursus a 117. f. ad 127 non preßus 117. f ostentator ciuilis prudẽtiæ 118. eloquentiã affectat Thucydideã 118. p. res lõgius repetit, descriptiones longius ꝑtrahit 118. m. cõcionibus multus 118 m. omittit multa 118. m. de coniurationis historia iudiciũ, vbi quatuor procemijs vtitur 119 deniq; multis exagitatur a 117. f. ad 123 p. Ciceronis hostis & Cæsarianus 121. 122. errata quædam 121. elocutio tamen apta 123. cum Cæsare confertur 123. f. in Iugurtino bello acuratior etsi aliquas etiam habet salebras 125. 126 prudenter rem fœdam narrat 219. f. a Gellio commendatus & Quintiliano 123. p.
Seneca de Cicerone & latinitate 142
Sex. Ruffus & de illo iudicium 191. m
Solon historiam carmine 10. p.
Spartianus Vopiscus et huiusmodi historici quales 187. f. quomodo ordinandi 189. de ijsdem iudiciũ 188.
Strabo 198. f.
Suetonius qualis 142.
Sycionij quales 198. m.

T

TAbulæ num historiæ forma 14. p. 52. m. 54. sunt historiæ imago & vmbra 54. m 55. 57. 58. 4.
Tacitus & eius annales 47. f. breuiloquẽtiæ notatus supra omnes 111 m. 112. quid de Liuio et explicatur 129. m. qualis 142. f. 204 f. 219. m. infamiam metui iubet 220. m.
Tarquinius Priscus 262. m. Tarquinius Superbus 162. f. 163.
Temporis ratio Physico explicanda 11. f. 48. f. 49. p. f. Astrologo, & alijs habenda 12. p. varietas notionis 12. m.
Tempus historiæ custos 83.
Testes excipiendi in historia 27. m.
Theologiæ necessaria historia 239. in quibus egeat historia 239. m.

Theo-

Theopompus 205.m.
Theoremata de historia 2. & deinceps toto libro 1.
Theseus & eius antiquitas 199.p.
Thomas Bosius Eugubinus, & eius Annales 150.m.
Thucydides adamauit conciones 8.m. 34.m. suspiciosus 36.m. conciones deseruit in posterioribus libris 41.f. Herodoti gloria commotus 71.f. de fine historiæ 21.m. 22.p. prudentia triplici instructus 81.f. breuiloquentiæ votatus 111.f. qualis 204 205.
Tiberij & Imperatorum facta qui scripserint ad Neruam vsque. 184. 185.
Topographiæ num ad historicum & quomodo 12.f. 50.m. 70.f. 83.f. 99.p. quid de illa Eustathius 51.p. 50.m. non ostentanda 101.
Tragœdia cum historia confertur 230.
Triumphi Romanorum quales 152
Trogus 41.m.
Tullus hostilius 162.m.
Turpia & improba num narranda 6.p. 29.f.

V

Veritas sæpè plena aleæ 76.m. nũ cũ aliena infamia sit detegẽda 76.f. quàm colẽda ex Luciano 79 & Lucceio 80 m. respondet animo in homine 113.m.
Verrius Flaccus de historia 4.f.
Virgilij locus de historia 53. alter 54 alij 55.56. eiusdem exemplum in deliberatiuo genere 226 m. Romanam complectitur historiam a 231. ad 238. quam Annibalem designarit 238.m.
Virgilius historicus optimus & cur. 230. 231. de nauigationis exordio 195.f.
Vitæ breuitati occurrit historia 1.f.
Vitæ num sint historiæ forma 46.f. 71.m. 72.f.
Vitium est res ad viuum referare in humanis 72.p.
Vnitas poesis & historiæ vnde 87. 88. certis circunstantijs concludendum tempus historiæ 88.f.
Vnum vni singula singulis conueni re exprimis 249.m.
Vtilitas historiæ vide historiæ vtilitas.
Vtilitas quatenus spectanda 56.m.

X

Xenofon 5 f. 9.m. de dictis 15.m. qualis 206.

Z

Zonaras qualis 158 m. 174.m.

FINIS.

CHARTARVM SERIES

✠ A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.

Omnes sunt quaterniones, præter ✠ Duernionem.

Venetiis apud Iacobum Vincentium Anno salutis

CIϽ. IϽC [illegible]